




P. Ladislaus Minorita ex urbe Iranschinio in Hungaria Dioecesis Nitriensis, et Auctoris cuiuslibet fermo popularis evolvit hunc libellum sibi commodatum, ne hique dixit, in eo quidem vera scribi, sed oratores nimis efferri atque amplificari; ne taque silentio praeteri quae non multum scriptori favissent. Laudemus, ejus opera Diurnum litterarum in Hungaria, quas Jesuitae, et Clerici Regulares Scholarum Piarum docent, et in oppido Papae docent humaniores litteras Eremitae S. Pauli. Pridie Idus Martias anno MDCCXXXXV.

PRO CULTU

LITTERARUM

IN HUNGARIA



VINDICATIO.

PRO CULTU LITTERARUM *IN* HUNGARIA *AC SPECIATIM* Civitate Diœcesique Nitriensi VINDICATIO

INNOCENTII a D. THOMA AQUINATE
Clerici Regularis SCHOL. PIARUM.
Inde Genere, Patria, & Domicilio.



ROMAE M.DCC.XLIII.

EX TYPOGRAPHIA JOANNIS ZEMPEL AUSTRIACI
Superiorum Facultate.

Decet cariorem esse Patriam nobis, quam nosmetipsos: (a) *ac nos, id quod maxime debet, Patria nostra delectet. Cujus rei tanta est vis, tanta natura, ut Ithacam in asperrimis saxis, tanquam nidulum affixam, Sapientissimus Vir* (b) *Immortalitati anteponeret.* (c) *Quoniam autem omnibus, qui Patriam conservaverint, adjuverint, auxerint, certus in Coelo sit, ac definitus locus, ubi Beati aevo sempiterno fruantur;* (d) *pro ea proinde mori, & huic nos totos dedere, & in ea omnia nostra ponere, & quasi consecrare debemus* (e).

(a) Cic. de fin. tom. 3.

(b) Ulysses.

(c) De Orat. tom: 1.

(d) In So. cap. 3.

(e) De Leg. pag. 170.

Excel-

Excellentissimo, ac Illustrissimo COMITI,

ANTONIO GRASSALCOVICIO,

REGIORUM JUDICIORUM IN HUNGARIA PRAESIDI;

Virtute, & Eruditione ornatissimo;

INNOCENTIUS a D. THOMA AQUINATE

Salutem, & Felicitatem.



Tsi plerisque omnibus, Lucubrationes Partusque ingenii cuiquam dicaturis, complures inter Patronos, ac Fautores, delectum quemdam facere, huic proinde prae altero gratifi-

cari, ſit integrum, atque etiam liberum; ego nihilominus neceſſitate quodammodo (illa quidem felice, atque propitia) compellor, hunc meum qualemcumque, ac certe properatum LABOREM, TIBI inſcribere, ac devovere COMES EXCELLENTISSIME. Cauſſae ſiquidem, & argumenta idipſum faciendi, quemadmodum frequentia ſunt, & in primis congrua; ita multiplici veluti vinculo, adeo ſane obligant, ut alio ſpectare, aut divertere, vix, ac ne vix quidem liceat. Quamquam, alias, non tam unquam in animum non induxerim hujuſmodi TIBI gratificandi occaſionem ullo modo defugere; quam immo ambiverim illam, atque percupierim. Itaque rationum, queis pertrahor, OPERAM hancce meam NOMINI TUO quaſi conſecrare, una fortaſſe, eaque haud poſtrema nonnullis videri

deri

deri possit, quod, cum Necessitudinis ego nexu Tibi sim conjunctus (quod equidem singulari duco gloriae) deceat, referatque plurimum, Partum hunc nostrum, utique ex hujusmodi conjunctione ad Te propius, ac jure pertinentem, Tuas continuo in manus, gremiumque deferri. At vero, utut existiment alii; mihi tamen non modo non peculiaris, at satis etiam communis videtur caussa ista; quin immo a studio, & privata quadam affectione profecta: quae Naturae potius propensionem, quam solidum Rationis Judicium, consequi (ut plurimum) consuevit.

Quocirca, quibusnam aliis, eis videlicet longe magis particularibus, & uni praesenti intento propriis momentis adducar, en retego, atque aperio. Quid enim? nunquid ego Hungariae, ac speciatim Provinciae,

Ci-

Civitatisque Nitriensis Litterarum , ac Litteratorum Vindicationem deſtinato non ſuſceperim ? immo inprimis , immo maxime. Quocirca ſub manu res eſt, de qua quaerimus: jamque concludi omnino neceſſe eſt, Opus hoc ipſum Tuo ſub Patrocinio publicari oportere. An quippe non Tu Hungarus ? non Tu etiam Litteratus ? & Illuſtris quidem longe admodum ; atque Litteratorum noſtratium facile primus. An Tu demum e Provincia , ſive Comitatu Nitriensi non ſis ? immo vero Decus illius praecipuum , Ornamentumque. An Tu tandem politiores omneis Litteras, quibus tantopere excellis, in Civitate Nitriensi, in ampliſſimis illis, atque plurimum frequentatis Scholis Nitriensibus, inde ab infimis Elementis non didiceris ? immo vero, quemadmodum Tute iſtud cum voluptate perſaepe

ſaepe

ſaepe memoras; ita illae majorem in modum gratulantur, Te talem ab eis, tantumque Discipulum fuiſſe inſtitutum. Atque ſibi merito, neque ſine jubilo vendicant, id, quod dicitur: *Praeſtantiam* (nimirum) *Diſcipuli, laudem eſſe Magiſtri*. Praeſertim, cum inſignem Tui exſpectationem, quam eis faciebas (ingenii felicitate, comique, & ad honeſtum quidlibet, decorumque flexili, ac ipſius quaſi Virtutis manibus efficta indole) adeo profecto expleveris, ut operam illae, oleumque, haud unquam utilius, ac honorificentius inſumſerint.

Tibi proinde praeſentem Hungaricarum Litterarum Vindicationem, Tibi ante omnes dicari, plane oportere, quiſque videt. Utpote, qui Hungarus, & litteratissimus quidem; qui doctae Provinciae Nitriensis In-

digena; qui HUNGARICARUM juxta atq; NITRIENSIUM SCHOLARUM olim STUDIOSUS, nunc MECOENAS. Quem (ſcilicet) praeſtantiſſimae LITTERAE, quas toto Pectore hauſiſti, ad ſumma OPUM HONORUMque provexere. Quotus enim quiſque eſt in PATRIA noſtra, qui neſciat, honeſto TE quidem, atque Nobili Loco natum; tamen multum admodum remoto ab eo *Splendoris, ac Dignitatis Culmine*, ab eo *Gradu* ſublimiſſimo, quem (GENUS TUUM praetervectus) magnis quaſi paſſibus, & quibuſdam volatibus, inſcendiſti, inſediſti? Ecquid autem (Mortalium feliciſſimo, ſed etiam meritiſſimo) ecquid vires alaſque addidit? quid illud fuit, quod fere unicum, tantopere extulit? adlevavit? egregiae utique LITTERAE, atque inſignis TUA ERUDITIO.

Poſteaquam enim manſuetioribus

bus DISCIPLINIS, ac reconditae PHILOSOPHIAE Cognitionibus, probiſſime excultus, JURIS quoque PATRII, ac CIVILIS optimam notitiam accepiſſes, Cauſſas agere, orareque coeperas admodum juvenis, & annis undeviginti paullo major. Mox autem, tum & magis in dies ac magis, praecellentis, minimeque vulgaris PERITIAE laude, paſſim, & ultra caeteros inclareſcebas. Jamque TE PRINCIPES VIRI, jamque TE PRAESULES maximi, & OPTIMATES praecipui, pro ſuo ADVOCATO non tam adſciſcebant, quam prenſabant, immo raptabant. Idquod ſane non poterat non advertere immortalem HUNGARORUM REGEM, ROMANORUMQUE IMPERATOREM, CAROLUM VI. qui TUI obtinendi jure potior, *Regiarum* TE *Cauſſarum* DIRECTOREM, ſupremumque MAGISTRUM, paucis poſt diebus juſſit. Quo (ſci-

licet) *Cauſſas Regias* in quovis FORO cum poteſtate ageres; quo praeterea, quaecumque pro aequitatis, doctrinaeque, & experientiſſimae induſtriae ratione poſſes, in *Fiſcum Regium* referres.

At, ſuperaſti propediem vota, opinionemque Maximi PRINCIPIS. Atqueadeo, perhonorifica ille, peramplaque hujuſmodi Provincia, ampliorem LITTERATURAM, habilitatemq; TUAM eſſe (non vane) ratus, *Summum* TE REGII TRIBUNALIS PRAESIDEM conſtituit non multo poſt tempore. Qui nimirum univerſi Regni *Cauſſas* cognoſceres, judicium de illis ſtatueres, ſententiam pronunciares. Qui ſimul (cum res ferret) ſolemnibus quoque totius REGIONIS NOBILIUM COMITIIS praeeſſes. Functus praeſigni adeo, ſedvero etiam intricatiſſimo MUNERE, functus (inquam) es Annos facile

cile

cile quatuordecim , ea dexteritate , prudentia, perſpicacitate; atque in primis aequitate; ut neque in *Judicium Vocantibus*, neque *Vocatis*, unquam deeſſes. Dares etiam plurima conſultiſſimi , & incorrupti JUDICIS documenta, quae mirarentur omnes, atque vix caperent: nihil autem committeres eorum , ob quae , aut ſuggillando , aut querulando , oblique de TE exiſtimarent. Quippe qui cunctis continenter eras affabilis, perbenignus , ac propemodum melleus; uni INJUSTITIAE aſper , torvuſq; , & inexorabilis .

Quis demum ſatis explicet circumſpectionem accurratam , atque procul , & circumquaque ſpectantem? Quis conſilium providum ac ſublime? quis animi moderationem haud ſatis praedicandam? qua ſemper quidem alias, ſed vero maximè

nupe-

nuperis in REGNI *Comitiis* fuisti, cum de *Coronatione* MAGNANIMAE MARIAE TERESIAE AUSTRIACAE, aliisque maximae *Curae*, *ac Providentiae* NEGOTIIS, agi coeptum fuit, atque tractatum deinceps? Equidem, nil mihi videor insolentius dicturus, si dixerim, omnem tum confertissimam illam, ac delectissimam, magnisque animis, & intelligentia vividam, NOBILIUM multitudinem, ab ore TUO pependisse. Increvit proinde, quantum maxime poterat, increvit sane occasione illa DOCTRINAE TUAE, atque Prudentiae inusitatae FAMA, & EXISTIMATIO. Qua etiam propter accessit PRAEMIUM perinsigne, ac praeclarissimum. Ecce enim dum haec pagellis illino, perlatum ad me est, TE nobilissimam in COMITUM Conditionem, sive Sumorum in REGNI PRIMORUM Consortium, Ordinemq;, ab Serenissima REGINA relatum

esse

esse nuperrime: at q; paullo ante, INTIMUM STATUS CONSILIARIUM declaratum, & insolito plausu evulgatum fuisse. Quod equidem nostratium NOBILIUM nemini uni, tota retro aetate accidisse, reminiscimur. Huc TE igitur optimae LITTERAE in HUNGARIA tractatae, inq; CIVITATE NITRIAE potissimum, inq; SCHOLIS Loci istius a praeclaris Magistris probissima ratione traditae, & TUA demum industria plurimum adauctæ; huc TE tandem HUNGARICAE LITTERAE provexere. Ut sane, quo TE amplius, vel quemquam alium egregie Litteratum provehere possint, vix habeant.

At siquidem, magnificentissima cum REGINA nostra, MARIA TERESIA, REGNI BOHEMIAE Diadema in URBE PRAGENSI propediem receptura, sis profecturus, (unus utpote ex designatis OPTIMATUM praecipuis) jamq; omnino in procinctu stes, haud velim (ultra)

mo-

moras TIBI nectere. Perge *Faustis Avibus*; atque illic etiam, in illo videlicet VIRORUM PRINCIPUM spectatissimo CONVENTU, ostende atque perhibe (idquod facturum TE esse nullus ambigo) illic (inquam) etiam ostende, HUNGARIAE LITTERATUM, LITTERATUM TE esse NITRIENSEM. Vale, & vade prospere; OPELLAMq; nostram, aliquam videlicet impedimentorum particulam, TECUM sumere dignare: nec non taedii levandi gratia nonnunquam per viam inspice, lectita interdum. Ita vero maximum Operae pretium reddidisti. Vale iterum; meque Conjunctione devinctum, at magis etiam addictum officiis, in Tuis numera. Dabam ROMAE postrid. Cal. Apr. CIↃ IↃ CC XLIII.

CENSURA ET FACULTAS ORDINIS.

JUssu Reverendissimi P. N. Generalis Præpositi legi VINDICATIONEM, quam nuper pro CULTU LITTERARUM IN HUNGARIA, conscripsit R. P. Innocentius a D. Thoma Aquinate, Clericorum Regul. Sch. Piarum Assistens Generalis: Ex qua non modo florentissimi illius Regni studium & Doctrina, mirum in modum elucent; sed Authoris quoque singularis Eruditio, & eximia erga suos, ac Patriam Charitas inclarescit, *qua Homini nihil charius, nihil jucundius esse debere*, Tullius affirmavit. Quae vero ibi ab Authore afferuntur rationes, & argumenta ad vindicandam PATRIAE Litteraturam, ac Decus; adeo firma sunt & luculenta, ut de iis ambigere, perinde sit, atque in meridiana luce umbras inquirere. Itaque minime vereor, ut Opus adeo solidum & eruditum, non solum ipsimet HUNGARIAE, sed toti quoque Orbi Litterario maxime probetur; Cum revera parvi aestimandum non sit id, quod VERITATIS Triumphum, PATRIAE Defensionem, & LITTERARUM Gloriam complectitur. Ita censeo Romæ in Collegio Nazareno Kalend. Martii, CIↃ. IↃCC. XLIII.

Paulinus a S. Joseph, de Clericis Sch. Piarum, in Romana Sapientia Publicus Professor, & Ordinis Schol. Piarum Assistens Generalis.

Man-

MAndante Reverendissimo P. N. Generali Praeposito legi diligenter R. P. Innocentii a D. Thoma Aquinate, Assistentis Generalis, Viri doctissimi, & in Gravioribus Disciplinis mirandum in modum versati, ac Politioribus etiam LITTERIS Ornatissimi, Opus, cui Titulus Pannoniae perhonorificus: Pro Cultu LITTERARUM in HUNGARIA VINDICATIO. Tantum sane abfuit, ut mihi in mentem venerit subvereri, ne aut Sanctissima Ecclesiae Dogmata, aut integerrima morum probitas, quicquam de eo detrimenti posse capere videretur; ut potius existimaverim ex hoc ipso Opere, & castissimos Ecclesiae mores, & orthodoxae Fidei nitorem, tum in HUNGARIA, cum alibi, non mediocriter auctum iri. Neque verò id sine caussa: Satis enim aperte constat hanc esse Bonorum omnium consuetudinem, qui in qua re animadvertunt alios floruisse, in ea ipsi student excellere: & quod multa cum gloria egregios vident fecisse Homines, id se quoque facere, pulcherrimum putant, & gloriosissimum. Frangit quippe ignavos aliena amplitudo, intendit acres. Itaque, cum Regnum Hungari videant suum Religionis, LITTERARUMQUE nomine, a tanto Viro summopere commendari; exterae quoque Gentes, quum Pannoniae Sacerdotes, virosque in saeculo Principes, & praesertim Episcopos palam observent cum Doctrina Virtutem ita conjungere, ut vitæ integritate, ac multiplici eruditione prodesse omnibus soliti sint, obesse nemini; dubitare profecto non possum, HUNGAROS inprimis, ac quotquot hocce Opus pervolutârint, ad Virtutum Imagines, quas ibi admirabiliter expressas cernunt, pro viribus imitandas, subjectis veluti facibus excitandos esse. Ingentes porro animas, rerumque cupidas immortalium, quae hoc in Volumine praedicantur, si tamquam exempla proposita imitentur cæteri, sequanturve, praeclara hinc sane commoda non tam in HUNGARIA,

RIA, quam alibi, Ecclesia capiat necesse est. Eo vel maxime, quod quae isthic continentur, diserte omnia, eleganter, ac solide, a Summo Viro pertractata, agnoverim. Nihil igitur impedimento esse judico, quo minùs in lucem haec ipsa VINDICATIO proferatur. Ita sentio Romæ in Collegio Nazareno. *Pridie Nonas Martii* CIↃ. IↃCC. XLIII.

Franciscus Maria, a S. Joan. Evang. in Collegio Urbis, de Propaganda Fide, Publicus Eloquentiæ Professor, e Clericis Regularibus Sch. Piarum.

JO-

JOSEPH AB ANGELO CUSTODE

Clericorum Regul. Paup. Matris Dei
Scholarum Piarum

PRAEPOSITUS GENERALIS.

CUm librum, cui Titulus: PRO CULTU LITTERARUM IN HUNGARIA VINDICATIO; a R. P. INNOCENTIO, à D. Thoma Aquinate, Assistente Nostro Generali, duo ex nostris, quibus commisimus, recognoverint, atque approbaverint; ut Typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur, Facultatem in Domino concedimus. Romæ in Ædibus nostris Scholarum Piarum apud S. Pantaleonem VIII. Idus Martii CIƆ. IƆCC. XLIII

Joseph ab Angelo Custode
Præp. Generalis.

Laurentius a S. Hyacintho
Secretarius.

AP-

APPROBATIO.

OPus, cui Inscriptio: PRO CULTU LITTERARUM IN HUNGARIA &c. Jussu Reverendissimi Patris Magistri Sacri Palatii Apostolici, attenta à me mente expensum, ne vel apicem Sacrosanctis Fidei Catholicae Dogmatibus, Canonumque Decretis adversum, continet: a Christianae etiam *Ethices* Praeceptis in nullo passu deviat. Quin imo justam, cumq; moderamine Inculpatae Tutelae ubique procedentem, pro Patria exhibet Apologiam. Quid ni proinde duplicis Virtutis, nimirum Pietatis, & Vindicationis officia expleat? Juxta S. Thomam enim 22. quest. 101. a. 1. *Ad Pietatem pertinet, exhibere cultum Parentibus, & Patriae*; & ibid. q. 108. a. 2. *Dicit Tullius in sua Rhetorica, quod Vindicatio est, per quam Vis, aut Injuria, & omnino, quidquid obscurum est, id est: ignominiosum, defendendo, aut ulciscendo, propulsatur. Unde Vindicatio est specialis Virtus.*

Nihil igitur obstare; imo laudabile, utile, ac propemodum necessarium videtur, ut praefatum Opus in Commentorum Confutationem, & Veritatis fulcimentum Typorum Beneficio in Urbe & Orbe publicetur. Ita censebam. Romae, in Conventu S. Mariae supra Minervam hac die 12. Martii Anno 1743.

Fr. Dominicus Gentis Ord. Praedicatorum Sac. Theologiae Mag., ejusdemq; in Universitate Coloniensi Publ. Doctor, Collegii Cassanatensis de Urbe Theologus.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Rmo Patri Mag. Sac. Pal. Apost.

F. M. de Rubeis Arch. Tarsi Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Nicolaus Ridolfi Magister Sac. Palatii Apost. Ordinis Prædicatorum.

AEQUO

AEQUO
LECTORI.



Emini (reor) dubitationem afferet, duo potissimum esse firmamenta, quibus Lectoris Fidem conciliet is, qui de ingenio nonnihil exaravit: Veritatem videlicet, atque comparatum ex Re Litteraria, jamque illustre Scriptoris Nomen. Quamquam autem, ab hoc altero parum admodum liceat polliceri; utpote quum, & peregrino in Solo *ignotus degam, ac praeterea bene me norim,*

quam

quam sim mediocris, etsi fortasse iis, quibus cum propius sum versatus, plusculum esse videar: sed vero ab eorum altero plurimam praesidii accessionem mihi fore plane confido. Tantum enim abest, ut Gentilium, Patriaeque amore, justos veri limites usquam transgredi velle cogitarim; ut etiam luculenta plurima, atque palmaria, missa fecerim. Quae jure quidem adferre poteram; tamen, ut ne infinitus essem, neve ADVERSARIO paullo amplius deferre viderer, quasi laborato prorsus opere ipsum retundi oportuerit; (qui nihilominus, neque in se, neque in eo, quod lucubravit, est maximi faciendus) languidam data fere opera, ac prope neglectam, & (ut ita dicam) Ruri feriantis, obotiantisque curam sumpsi ad refellendum, quae (ut plurimum) remissior esse solet.

Ac

Ac certe, ni aſſerendus Patriae Regionis *honos, ni propulſandus obrepens rumor imperitorum, longeque ab illa abſentium; ni eorum, eorum inquam ſupra Vulgus poſitorum habenda fuiſſet ratio, quibus fortaſſe quicquam ſiniſtrae opinionis* Adversarius *injecerat; ſi denique ad iſtum ipſum ego unice attendiſſem, haud putaverim, vel aurem fuiſſe ſcalpendam.*

Etſi autem nudis prope manibus ad opus acceſſerim; etſi feriando ſcripſerim, (Ruri enim tum agebam) neque vires propterea nimis contenderim; tamen excrevit interea labor quaſi furtive, ac praeter opinionem. Ejuſmodi nihilominus (veluti praetuli) quem Veri *terminos nuſpiam tranſcendere admittebam, bene autem cum recto aſſidue conſueſcere. Alieniſſimum*

ſiquidem ab omni fore honeſtate jugiter ob oculos poſui, ſi ROMAE, *Urbium, & Orbis compendio, communi quodam Nationum omnium, ac totius fere Univerſi Domicilio, proindeque tum aliorum in quovis genere praeſtantium, cum in primis Litteratorum, ac Sapientum perpetuo Concilio; ſi deinde pro* PATRIAE ILLUSTRIS, GENTIS*que* PRAENOBILIS *honore, aut iſtius* VINDICATIONE, *aliquidpiam in publicum emitterem, in quo laeſae Veritatis, merito arceſſi, ac poſtulari poſſe viderer.*

Sed excrevit (ajebam) labor, praeſertim ſi cum ADVERSARII *Facto conferatur: utpote qui perpaucis verborum periodis laceſſivit. Verum enim, ut pauca ipſe profuderit, tamen mali plurimum ac detrimenti intuliſſe, credi debet. Ac ſane, quemadmodum*

Ephe-

Ephesinae Templa Dianae
Condita bis centum, & vicenis insuper annis,
Sustulit adposito male suasus Herostratus igni
Uno forte die; facturus futile Nomen,
Immortale dein, sero clarumque Nepoti;

Ita propemodum ipse si non obscuri, profecto non admodum conspicui, etiamdum Nominis, Regionem florentissimam, Litteras ejus, Episcopos, Omnemque Clerum, Municipia, Nobiles, Optimates, contractis illis obtrectationibus usquequaque inquinare, praeclarissimam Famam in dispendium, jacturamque adducere, ac uno velut ictu cuncta pessumdare; nequiter, aut summum improvide, attentavit, quo fortasse Nominis cujusquam umbram prensaret. Quidni proinde necessum fuit raptim saltem, minutatim, summatimque, horum omnium periclitanti apud Exteros

existimationi consulere ? atqueadeo pauca illa copiosius refellere ? Tum, ut ne cuiquam parti prorsus defuisse videremur; cum vero, ut licentia Hominis latius nudaretur, ac luculentius pateret. Terris denique sepositis persuasum omnino fieret, nullo pacto Hungariae *peritiam despicatui duci posse, ac debere, qualem pulcherrimis in Litteris sive tradendis colendisve; sive etiam comparatis pridem obtinet. De qua nihilominus, tanquam oppido barbara, inculta, ac ne* Vulgaribus *satis instructa Ditione, tumultuario, nullaque fide is prodidit, qui (sicuti observare pronum fuit) illam hactenus ne a vestibulo salutavit.*

Ea quocirca ego de Hungaria, *etsi fortasse longior, tamen compendio afferam, quae non modo non redun-*

dave-

daverint ; verum , ut commemorarentur , usque omnino fuisse necessarium , visum fuit . Noveris praeterea Æque Lector *(quod te in primis moneo) illas duntaxat* Res Hungariae *nos in medium allaturos , quae hodie in ea sunt , visuntur , conspiciuntur . Quare nil fere innuam de* Cultu Litterarum , *qui priscis , aut* Matthiae *saltem* Regis *temporibus longe maxime floruerat . Nihil fere ex proposito , de* Viris Illustribus *superiorum Ætatum , qui ob Ingenii , Virtutis , Litteraturae , Scriptorumve felicitatem , atque praestantiam , laudem insignem , Famamque immortalem , Domi , forisque sunt consequuti . Cujusmodi percelebratos Homines , longo alioquin ordine percensere , ampleque , ac magnifice commemorare poteram , Beatum videlicet* Hierony-

mum

MUM, *Beatum* MARTINUM *Turonensium Antistitem*; JOANNEM HUNNIADEM *Armis ac Sapientia immortalem*; JANUM *inde* PANNONIUM; THOMAM (*Cardinalem Strigoniensem*) *per antonomasiam dictum*; *Abbatem* TUBERONEM *ei coaevum*: GEORGIUM MARTINUSIUM, SAMBUCUM, OLAUM *Orbi notissimos*; DRASCOVICIUM, DUDICHIUM*que*, *in Concilio Tridentino primi Ordinis Eruditos*: VERBULCZIUM, KITTONICIUM, *Juris peritissimos*; PETRUM DE REVA, TUROCZIUM, ISTUANFIUM, & (*si velis*) BONFINIUM, *nobiles Historicos*; PAZMANNUM *deinde*, FORGHACIUM*q*; *Cardinales*; FRANC. FRANGEPANIUM *Coloczensem Archiepiscopum*; DUORNICOVICIUM *Vaciae Episcopum*, *Bononiensi olim in Academia Sacrorum Canonum Doctorem*; DEMETRIUM NAPRAGHIUM, JOANNEM CUTASSIUM, TOMORIUM*que*, *item Episcopos*; NICOLAUM *praeterea*

ZO-

ZOKOLIUM, JOANNEM KELEMESIUM, JOANNEM THURIUM, JOANNEM FILECZKIUM, JOANNEM SONNFRUM: *tum* OTROKOCZIUM, *Litterarum ſane omnium, ac Hebraeae Graecaeq; peritiſſimum*; LUCAM DE SANCTO EDMUNDO, *e Scholis Piis Clericum, Mathematicis probiſſime inſtructum, Monumentiſque relictis victurum*; KALDIUM, SZENTIVANIUM*que*, SOCIETATIS *Viros omnino celebres; & innumeros alios, cum recentioris, tum vetuſtioris Ævi: Uvichingum potiſſime, jam executne nono Saeculo, Nitrienſem Epiſcopum; ob ſumma deinde Sapientiae, Prudentiaeque, ac judicii Decora*, PATAVIENSEM *ad Inſulam provectum; tandem & Civitatis hujus poſſeſſione ab* Arnulpho *Imperatore donatum.* (a) MATTHIAM *denique* CORVINUM, *Bello (neſcias); an Litteris clariorem: utroque autem in genere poſt natos Homi-*

(a) Inchofferus an. Eccl. Reg. Hungar. pagina 98. 113. 119.

mines maxime memorandum. Quem
(a) Præfat. in Saluſtium. *Joannes Alexander* Braſſicanus (a) Librorum Helluonem *appellat ; atque incomparabili Laudationis apparatu exequitur celeberrimam illum* (*Budenſem intra Regiam*) *Bibliothecam inſtruxiſſe : in qua tantum fuerit Graecorum, Hebraicorumque Voluminum, quae* (*occupato per Turcas circiter ejus tempora Byzantio, everſiſque ampliſſimis Doctae Graeciae Civitatibus*) *e manibus ipſe Barbarorum, veluti mancipia, inſanis ſumptibus redemerat ; tantum praeterea Latinorum Librorum, cum veterum, tum recentiorum, quantum nuſquam alibi* (*quod* Braſſicano *ſcire datum fuit*) *reperiebatur.* Braſſicano *inquam, etſi alioqui per Orbem eruditum, totamque litteratam* Italiam *experientiſſimo. Ad haec :*

qua-

quatuor insignes Librarios magnis eum impendiis aluisse FLORENTIAE; *a quibus melioris notae Authores Graeci, & Latini summa diligentia conquisiti, continuo exscriberentur.* (a)

Poteram ergo haec, & alia pristinae HUNGARORUM *Litteraturae monumenta ab immemorabili fere Antiquitate repetere, oculisque legentium sistere tanquam ingentia ad praesentem* VINDICATIONEM *adjumenta; Quia tamen* ADVERSARIUS *moderna vellicet, aut collutulet, haec proinde afferenda potissimum, vindicandaque ut sumerem, consentaneum judicavi; illa vero vel levissime attingere, aut plane intermittere.*

At, cum ROMANA *in* URBE, *Rem item* ROMANIS *tractandam manibus expediam, si quocirca non ubique ad ingenium, judiciumque aurium* ROMA-

(a) Vide Inchoff. in apparatu ad an. Ec. Hung. pag. 39. Item Paulum Jovium.

NARUM *membra orationis innexuero*; *si nonnunquam hyperbata longiuscule protulero*; *Si* nomen a verbo, praepositionem a casu *sejunxero interdum*, *haud continuo* LECTOR *aequissime corruptela*, *aut barbarie latinitatis ista multato*: *quippe hujusmodi usum* CICERONI *quoque non raro fuisse*, *dedita profecto opera observabam*. *Adde*: *quod* ROMANI *ad vernaculae linguae suae modulum*, *phrasimque*, *latine efferendi rationem* (*naturae certe ductu*) *accommodent*; *istudque sibi praeplacet*, *nec ab ullis vitio vertitur*: *connivendum iccirco*, *indulgendumque fuerit alii quoque* NATIONI, *sicubi hanc illamve latini sermonis collocationem ad nativum loquendi modum aptet*; *modo ab inquinatis*, *obsoletisque verbis abhorreat oratio*, *&* *caligine*, *obscuritate*, *tor-*

tuo-

tuosaque stribligine ita sit libera, ut mediocri saltem attentione percipi queat.

Deinde, quum ipsa haec qualiscumque SCRIPTIO *nostra, haud unica, eaque perpetua Oratio sit; verum sparsim, ac velut in transitu, diversa diverso scribendi genere pertractet, quemadmodum suscepta caussa postulabat; non eapropter severius supercilium detorseris* ÆQUE LECTOR, *si fors interdum in decursu licentiora tibi videbere offendisse verba, quae videlicet non universa, neque singula ab Aetatis aureae, vel* CICERONIS *unius promptuario simus mutuati. Praeterquamquod haud leviter superstitiosam solicitudinem suscipi ab iis putem ego, qui religioni ducunt, inque latinitatem peccatum esse arbitrantur corrugata fronte, siquam vo-*

culam in cujuſpiam exercitatione deprehendant, quae nuſquam in NIZOLIO, *nuſquam in ſupremum recognitis M. Tullii Voluminibus inſit. Cujuſmodi anxiam plus ſatis accurationem, haud arroganter improbatam fuiſſe ferunt a* PICO MIRANDULANO *in Clariſſimo* BEMBO; *qui depravatam eſſe, aut non ſatis tectam ſartamque latinitatem adſtruebat enixius, ſi verbum adſciſceretur, quod in* CICERONE *lectum non fuerat.*

Et vero, ſterilis admodum, circumſcripta, curtaque fuerit Latinae linguae ſupellex, ſi non plura, ſi minime alia pro genuinis uſurpet, ſi nulla praeterea, latina Civitate donet, quam quae a NIZOLIO *collecta. Quemadmodum igitur in Corona perpolita, ac perornata, nequaquam ſingula, gemmae, corallia, lapideſ-*

que

que pretiosi sunt, neque aurum purum putumque; verum alterius quoque materiae nonnihil quandoque, ac saepe etiam admittitur, & internectitur, uti Aeris Coryntbii, vel etiam Chalybeae quippiam bracteae; neque propterea genuina, bellaque Corona esse desinit: ita in Scriptione *quoque latinis litteris consignata,* Ciceronis, *ejusque Coaequalium verba, dicendique formulae, margaritarum lapillorumque loco utique explendescant; quod pro eo, ac debebam, semper censui: nequaquam tamen, alia vocabula posterioribus Aetatibus ascita, ac quodammodo adoptata, continuo ableganda exterendaque erunt, modo probatis, illustribusque sui Saeculi Viris recepta fuerint: verum ipsa quoque ad apparandam latini cujuspiam monumenti seriem, suo loco, & ordine fa-*

facere videbuntur. Quod cum nemo, nisi admodum censorius, aut sciolus inficiari valeat (aut qui vix gregarius quidem, attamen arrogantiore contemptione feratur adversus Viros litteraria in Rep. Classicos) futurum omnino est, ut Penus latina oppido augescat, atque plura pro adulterinis repudiata verba, pro germanis adsumantur, & adoptentur. Imo fiet, ut ea quoque, a quibus etiamdum ceu tetris, & barbaris abhorrent delicatiores, & qui plus aequo castigati videri ambiunt, propediem pro legitimis, Romanoque labro non indignis judicentur. Propterea sincerus, ac omnium judicio eruditus Aevo nostro linguae latinae MAGISTER, JACOBUS FACCIOLATUS, *in Praefatiuncula* VERBIS BARBARIS *ab se congestis adposita, egregie, atque cordate*: Neque ve-

vero barbara appello, quod omnium Latinorum Scriptorum ſamiliaritate careant; ſed quod mihi ad hanc diem carere videantur. Caeterum multa jam Latio reſtituta ſunt, quae Viri Doctiſſimi ante ablegaverant. Nec nobis profecto moleſtus erit, qui horum quoque cauſſam ſuſcipiat, & in Romanam Civitatem per Teſtes, & Tabulas rite inducat.

At, qua demum ratione veniam impetrem nonnullorum a me inſperſorum verborum, quae inuſitata, inaudita, peregrinaque merito putes, ac uni ſolum Genti propria, nec niſi nuper nata? Officiorum videlicet, publicorumque Munerum ac Magiſtratuum in REGNO HUNGARIAE *ſolitorum? qualia ſunt*: Conſilium locumtenentiale, Dicaſterium, Tabula ſeptemviralis, *& alia hujus ordinis?*

Ve-

Verum, & hanc ipsam, quae tamen videri poterat culpam, praesentissima Advocatione diluit linguae latinae Princeps. (a) *Sic enim ille pro nobis, nostroque nomine te interpellat*: Dabis profecto, ut in rebus inusitatis, quod Graeci ipsi faciunt, (a quibus haec jamdiu tractantur) utamur verbis interdum inauditis. Sunt enim nova, rerum novarum facienda nomina. Quod, si Graeci faciunt, qui iis in rebus, tot jam saeculis versantur, quanto id magis nobis concedendum est.

(a) Academ. Quaest. l. 1. c. 7.


Denique, cum a natura simus ita comparati, ut pro cognata infirmitate facile nobis excidat, quod vitio detur, quodve crisim subeat; siquid proinde ÆQUE LECTOR *in oculos incurrerit tuos nostri per seriem Operis, quod a vero quoquomodo, quod a mo-*

a modestia, ingenuitate; quod a decentia alienum reipsa sit, aut paullo crudius dictum, & insolentius, velim, pro non meo, at pro ejusmodi habeas oro, quod jam nunc ego despuam, ac detester. Novi autem, inspersisse me punctiunculas quasdam acriores aliquantulum, & plusculum ferventes exaggerationes; accusationes item crebriores, cum ADVERSARIO *acerbius nonnunquam expostulantes: verum ingenue mecum reputabam hunc esse debere stylum, hanc indolem Orationis, hunc tenorem, si quis* APOLOGETICUM, *si quis* DIALOGUM *scribere constituat. Quare non affectui, non voluntati meae velim tribui; sed formae, moduloque* SCRIPTIONIS. *Quamquam (ut fatear quod res est) justus quaepiam dolor expressit: cui plerumq; connivendum fue-*

rit; ſiquidem ob laeſos praeſertim PARENTES PATRIAM*que, vehementior, ac ſui propemodum impotens eſſe ſoleat. Vale; atque ſin minus laborem probaveris meum, ſaltem de* HUNGARIAE LITTERIS *probius deinceps exiſtima.*



VIN-



VINDICATIONIS

PARS PRIOR GENERALIS.



UUM plurima ſint, in quae Homines vi quadam ingenita propelluntur, atque inardeſcunt; tum illud maxime videtur, quod NATALE SOLUM, ac Regionem, ſub cujus Coelo vitam accepere, & nunquam non ament & tueri ge-

ſtiant

ſtiant nervis omnibus, omni conatu,omni ingenio. Inde, quantum, quamque deflagrantem amorem Natura ipſa adverſus PATRIAM pectoribus inſevit noſtris, jam nemo unus eſt ADVERSARIE, qui ignoret. Quoniam iſtud & ingenuus quiſque apud ſe perſentiat; & Majores noſtri omni retro Ætate Litteris conſignaverint: atque in luce poſita ſint praeclariſſima, ac in primis miranda complurium Exempla, quibus teſtatiſſimum fecere omnino, quam nihil eis fuerit ante PATRIAE dilectionem. Nihil ſcilicet arduum,nihil praeſentis periculi pleniſsimum,quod hujus amore generis concitati, non ocyſsime adirent,aggrederentur. Recole memoria (ut pauca de innumeris afferam) recole (velim)Romanum illumq; CURTIUM, Juvenem profecto poſt natos Homines inuſitata magnanimitate ſingularem: qui hiantem eventu inauſpicato in tellurem, tanquam in rictum aliquem iratorum Fatorum, auſu ſeſe intrepido praecipitavit,quoPatriae ſalutem aſſereret, atque (ut ita dicam) Urbem abſorpturam voraginem ſatiaret. Quid porro egerit vel *Ponte Cocles, vel Mucius igni*; recens adeo ac domeſticum eſt, ut ob immortalem Facinoris amore PATRIAE ſuſcepti gloriam, hodiernum ſane videri poſsit. Sed in CINEGYRI *Athenienſis* fama fortaſſe peregrinus es? Audi incredibilem Viri incomparabilis fortitudinem. Fervebat conflictio acerrima, eaque navalis: Hoſtilem ipſe interea navem

EXEMPLA, ſtudiũ defenſandi Patriã mire commẽdantia, atq; incendentia.

vem prehendit, atque una manuum constantissime retinebat. Ista subinde amputata, alteram suffecit: tum hujus quoque jacturam passus (dictu mirabile) corripuit ansam dentibus, atque ita dilectam PATRIAM mordicus re ipsa defensavit.

Quo vero ad veritatem, quam persequimur, multo etiam magis demonstrandam (etsi nemini sit controversa) SACRARUM quoque TABULARUM Auctoritas suffragetur, recogita factum illud ELEAZARI profecto eximium, ac nulli secundum. Qui cum prospiceret eminus ANTIOCHUM, immani ex Elephanto horrificum praelium turgide acuentem, immineret vero inclinante suorum Acie pernicies, atque execrabile Jugum PATRIAE, quid quaeso egerit? quod consilium in arena coeperit? Facto impetu mediam per Legionem, viam gladio aperuit, & citatior subter belluam insiluit: tum subito ilia vastae molis perfodit, seseque ingenti, quod mox prolabebatur pondere, tumulavit. Quo nempe, haud equidem inglorie obtritus ipse & oppressus, validissimam in PATRIAM impressionem si non reprimeret, labefactaret saltem, nutantesque Sociorum animos confirmaret, ac stabiliret. Sic ille pulcherrimum sibi Funus immortali facinore paravit, & oppresso corpori non tam tumulum, quam trophoeum superposuit.

Quae cum ita sint, non poteris ADVERSARIAE

non

non aequo animo perferre, non poteris non aequi bonique consulere, dum ego (tametsi alias hujusmodi percelebratis cum Heroibus comparari minime valeam) Amore nihilominus PATRIAE audebo quicquam. Dum videlicet in Te incurrero, Tua severius dispunxero, enervavero. Dum Te, non in summa duntaxat cute perfricuero; sed vero interius quoque vellero, fodicavero. Intra modestiae tamen rectique limites, neque pro mensura delicti. Istud quippe, & affecta injuriis PATRIAE FAMA, aequis a me rationibus contendit, ac propemodum exigit; & mea adversus illam observantia dignum factu, ac necessarium sane judicat: ac te quoque praeterea, haud invite perpeti, minus autem gravate ferre, necesse est. Is enimvero, qui reatum consoivit, jam opere ipso subscripsisse, atque transegisse videtur, ut vapulet demum, ac luat. Quare in faciem se caedat oportet, si poenae, si acceptandae ultioni reclamitet, sibique vim inferri, vel injuriam fieri criminetur.

Etsi autem is ego sim, qui dudum Saeculo nuncium remiserim; neque propterea intersit publicis me negotiis implicari, aut streperam aliquam actionem non pertractare modo, verum etiam suscipere; Attamen ut igniculos omneis, prosequendi, tutandique caram PATRIAM restinxisse videri debeam, nemo est, qui pro recto sentiat. Nisi vero putet, oportere, ut Homo nimirum,

qui

qui in Mundo verſari agereque deſiit, ſimul etiam deſinat eſſe Homo. Quandoquidem autem peniſſimus ſit Amor PATRIAE, tamque unicuique noſtrum, quam prope vita ipſa intimus; neque proinde exui, deſerique poteſt; neque demum culpae tribui cuiquam debet.

Sed unde tandem occaſionem ſumſerim non tam te inceſſendi, quam (quod potiſſimum in mente verſo) PATRIAE patrocinium ſuſcipiendi; perfacile intelliges, ſi Dictionem tuam omnino funeſtam recognoſcas, qua Joanni Erneſto HARRACHIO Epiſcopo Nitrienſi, & CAROLI VI. tum Romanorum Imperatoris, in URBE Oratori, haud ita pridem parentaſti. Nihil minus quidem, quam vere de te, Dyoniſius CRIBELLUS in Nuncupatoria Juſtorum horum, ac Inferiarum tuarum: *acceſſerat quaedam Hominis altius in animo inſidens in publicum prodeundi verecundia*. Quippe qui non parum inverecundus, in Famam CIVITATIS, PROVINCIAE, totiuſque inclytæ REGIONIS e latibulo tuo involaſti, invaſiſti. Melius nimirum tibi te conſulturum fuiſſe putaverim, ſi te, ac tua luci ſubtraxiſſes, notae volucris imitatione: utpote quae clarum in diem provolans, tanquam neſcio quid grande adverſus Avium Rempublicam admiſerit, ab obvia qualibet acrius infeſtatur. Jam vero ecquod illud fuerit haud ſuſtinendum omnino piaculum, quod abs te in PATRIAM meam perpetra-

Ratio ſuſcepti operis latius ducta.

tratum sit, quove me, omneisque Indigenas meos non modice provocas, ac lacessis, videamus.

Eorum, ad quos spectabat imperio, inde ab interiore HUNGARIA propius Calendas Majas, hocce Anno XLII. supra CIƆIƆCC. in URBEM accesseram, atque etiam diversari peregre longiore intervallo, sum jussus. Interea dierum feralis Lucubratio tua manibus forte meis ingesta fuit, quasi diverticulum aliquod (quod ex fronte rei opinatus fueram) quo alieni SOLI taedium quantulumcumque levarem. At ecce, dum paginam secundum paginam voluto, incido inauspicatas in periodos, quibus PATRIAM, CIVITATEMQUE meam, & quanta est, nobilissimam HUNGARIAE Ditionem, tetro veluti carbone foedari, maculari pluri indignissimo convicio, & ignominia, plane deprehendo. En verba tua, integerrima fide exscripta: *Etsi Nitriae a me tantus habetur honor, quantus nobilissimae Urbi videatur esse tribuendus, non tamen dissimulabo illius, totisque illis Regionibus communem in Litteris calamitatem: quarum vel nulla est, vel certe prava, & inutilis tradendarum, colendarumque ratio. Ex qua Litterarum inscitia, incredibile est, quantum detrimenti Res Ecclesiastica capiat; quam enormes Christiani Officii perversiones, quam multi, & perniciosi errores in Evangelicam Doctrinam irrepere possunt*. Et post pauca: *statuerat in Ecclesia sua* (Nitriensi) *Scholas, quae nullae sunt, instituere, in quibus plures Juvenes alerentur, imbuerenturque litteris* & rel. Ef-

Efferbuit confeſtim ſanguis ad iſtam verborum immoderationem, cum veritate toto (quod ajunt) Coelo diſcrepantem, proindeque non immerito ſtomachum facientem. Atque illico admotis veluti facibus accenſi PATRIAE Amoris calentiore ſenſu, & dolebat vehementius, & qua ratione injuriam longe graviſſimam retunderem, ac procul amolirer, ſolicitius animo agitabam. Tametſi enim ſolutior iſta, ſibique non conſtans, ac temere conſarta amplificatio (tamquam ab homine fere novo evulgata, atque ſatis tenui) inſuper omnino haberi poſſet; quia nihilominus in URBE omnium Principe, Divinae, humanaeque Eruditionis Matre, Orbis denique Magiſtra, atque Arbitra ſcripta ſit, ac etiam publicata; minime autem cum vero congruat, immo per omnia unica ſit, quae ſane palpari queat hallucinatio, nulla equidem ratione impune, inulteque eſt toleranda.

Lapſus generales Adverſi Scriptoris.

Tria ſunt autem ADVERSARIE, e quibus optimus quiſque, ſi ſuperiora illa, quae mox excerpſimus, penitus expendat, te quidem & non mediocris poſtulet imprudentiae, ne dicam impudentiae; &, ſi non ſtudium adfuiſſe alienam exiſtimationem convellendi, profecto cautionem concludat, attentionemque tibi defuiſſe, indemnem aſſervandi. Nam primum: nonniſi perperam, ac omnino inconſulte agi ab eo quiſque videt, qui caecus alioqui, tamen de colore nedum quae-

ſtionem inſtituere, atque perſequi; verum & judicium ſtatuere pervicacius elaboret. Deinde: quis cum Prudentiae Regulis conſentire illum, earumque ductum affectari, ſecum reputet, qui cum privati Hominis conditionem ſuſtineat, necnon a Regione quapiam, cognitione forſan amplius, quam terrarum abſit ſpatiis; tamen, & CIVITATI ipſius Nobili, & DIOECESI percultae, & PROVINCIAE illuſtri; toti denique eidem ipſi, a Natura haud magis, quam Arte, Virorumque lectiſſimorum numero, perornatae REGIONI, luculentum dedecus extremae inſcitiae, projectaeque ruditatis, loquaciter, ſin minus malevole affingat? Poſtremo: quis non protinus intelligat, ſuſque deque exiſtimationem alienam haberi ab eo, ac praeterea egregie illum, immo nequiter palpari, qui ita commendet, attollatque praedicatione EPISCOPUM, paullo ante, quam e vivis excederet, renunciatum, & a quo Dioeceſis ſuae curae credita, ne conſpici quidem potuit; ut DECESSORES ejus continenti ordine reipſa conſpicuos, ac de ECCLESIA ſua inſigniter meritos, tacite, quinimmo intento fere indice, inſimulet? tanquam ad informandum ovium Gregem, procurandamque animarum inſtitutionem totis retro temporibus oſcitanter adverterint, aut vix ullam ſolicitudinem putaverint eſſe ſuſcipiendam? Quod quiſque percipit eſſe, cum Barbaris in mortuos deſaevire.

Quae

Quae omnia sic inordinate abs te dicta, gestaque fuisse nimis compertum est. Neque fere operae pretium sit, ea tibi destinato, atque ex ordine accommodando, studium, laboremque aggredi; res siquidem seipsa liquido elucescat. Tu enim ADVERSARIE, tantum abest, ut HUNGARIAM, Civitatemque NITRIAE, ac DIOECESIM unquam videris, aut peragraris; ut neque eorum narrationem, quae pro libidine consersisti, cui videlicet fides aliqua utcumque haberi valeat, te a quoquam accepisse, sit credibile: appelles licet ANTISTITEM, cujus Encomia concumulas: licet universos, quibus cum domi illius, dum viveret agebas. Enimvero & ipse PRAESULUM optimus, & sui, quotquot erant tanto cum Viro propius tractare haud indigni, probius omnino, ac magnificentius, de Regione HUNGARIAE, DIOECESI, CIVITATEque NITRIENSI senserint, censuerint, judicarint. Id quod maxime est verisimile, pro ea scilicet, qua erant prudentia, religione, honestate; ac etiam ob SOLI viciniam, PRINCIPISque communionem amicitia: tum & non modica experientia. Praesertim quum Joannes Ernestus HARRACHIUS, etsi summo inter suos loco natus, tamen in sinu gestiverit, feceritque plurimi, sese in Ordinem NOBILIUM HUNGARIAE, Majorum promerito, ac virtute fuisse adscriptum. Qui profecto, neque sibi victuram gloriam, neque Ne-

Confutatio generalis lege tensa.

potibus decorum, ac delectabile parassent, si nimirum intra imperitum, & rude (quemadmodum tu blatis) HUNGARORUM vulgus cooptari, ac referri, & meritis, & impendiis contendissent. Quare, demus licet quosdam in verba projectos, ac fabularum prodigos, secius, atque iniquius fuisse loquutos de HUNGARIA; isti sed vero non de intimis honestissimi illius PRAESULIS Familiaribus fuerint, pronum est intelligere: de novissima proinde Mediastinorum servitute, aut verius de nauci sorte, mercedulâ, offellâque venalium. Inde percipis jam in ipso aditu Tractationis nostrae, quam deflexa ratione scripseris. Nisi vero in excusationem obtendas, modo memoratorum sublestissimae fidei hominum narratiunculis tibi fuisse impositum. Tum vero impingis in illam facundissimi TULLII sententiam: *Falli, decipique, tam dedecet, quam delirare.* (a) *Stultitiae autem peccatum, excusationem non habet* (b). Verum enim, ista minime omnium ad te pertinere velim, pro ea scilicet modestia, quam adversum te gerere constitutum habeo.

(a) De Offic. c. 19.
(b) De Orat.

Quare, omnem Ego conscitae cumulatioris culpae injuriaeque complexionem, ad quandam inconsideratam, ac minime certe tolerandam licentiam tuam, tamquam ad caput, fontemque pertinere, satis adsequor, qua (nemine impellente, atque adeo pro arbitrio tuo) de

Lit-

Litterarum in HUNGARIA ſitu, peregrinitate, barbarieq;, praeter fas & aequum pronunciabas. Vel quod de REGIONE remotiſſima, & vix ulli ROMANORUM (uti putabas) propius cognita, falſo etiam ſervire auribus non anxie metueris; utpote quum nemo eſſet, qui de veritate inquireret, quive diem tibi diceret: Vel quod gratificari ambitioſius uni Homini, (etſi jam a conſortio viventium ſegregato) uſque pergravi cum injuria totius eximiae PROVINCIAE, CIVITATIS, ac DIOECESIS, religioni non duxeris, immo in partem laudis repoſuiſſe videaris. Quaſi vero deſideratiſſimi PRAESULIS decoribus multum fuiſſet ademptum, dereptumque, ni, dum extuleras illum, ac magni feceras, alienum honorem diminuiſſes, immo detriviſſes. Spondebas in illa tua LAUDATIONE FUNEBRI, *nullam ei falſam laudem te velle aſſingere*: quam vero falſa, adſcitaque ſit commendatio, laudare quemquam cum alius derogatione, nemo ſanus non percipit. Ecquid namque genuinae ad laudis apparatum facere poteſt, ſi nudes hunc, atque deſpolies famae honeſtamentis, ut illum conveſtias? O praepoſteram, atq; perverſam laudationem! Tu proinde quando praecellenti PATRIAE noſtrae ſumma injuria detracta ornamenta ad Joannem Erneſtum HARRACHIUM referebas, repetundis excompſiſti Corniculam, ludificator potius, quam laudator PRAESULIS Orna-

natiſſimi. Quod, quam probroſum videri debeat Viro tam illuſtri, & ad ſumma quaeque facto, ipſe profecto ſi viveret, palam faceret, cum ſcilicet menda tua trabali proculdubio litura deleret, atque expungeret.

Quoniam autem idipſum ego pro virili exequi conſtitui, diſpungamus (agedum) ſingulatim, quae indigne, atque infamiter illi tuae infauſtae Praedicationi adplicaſti. Ajebas quocirca *non te diſſimulaturum*, NITRIAE, *totiſque illis Regionibus communem in litteris calamitatem, quarum vel nulla ſit, vel certe prava, & inutilis tradendarum, colendarumque ratio*. Totidem ſane convicia, quot verba. Ecquis tu vero es ADVERSARIE. quod iſta, porrectiore fronte, ac fere perfricta? quod iſta adeo aperte? adeo libere? intemperanter? Ego vero dicam quod ſentio: tum demum, neque prius, orbitatem LITERARUM ſenſuros HUNGAROS, ac etiam NITRIENSES, cum doctiores pleroſque, ac magis peritos, aut etiam prudentiores haud connumerarint, quam tu mihi videaris, ac reipſa exiſtas. Hujuſmodi enim, quae tu improvide, atque arrogantius; nemini (putem) docto, prudentique Viro excidere poterant. Quotus enim quiſque Sapientum eſt, qui praeſertim non provocatus, GENTEM integram oneret contumelia? palmaris nota oneret ignorantiae? ac GENTEM quidem de REP. CHRISTIANA optime, de RE LIT-

TE-

TERARIA haud poſtreme promeritam ? cujus ipſe neque conſuetudine uſus fuerit, ſed neque propemodum notitiam antea perceperit?

Verum, uſuvenire ſaepenumero obſervatum fuit, ut ii, qui de Litterarum incremento, inſtauratione, ducendiſque coloniis tumidius, atque ultra, quam auctoritatis eorum anguſtiae ſeſe porrigant, differere, percrepareque conſueverunt, ut plurimum vix mediocriter ſint verſati. Pares Gallinulae, quae ſi pluſculum ſtrepitet atque vocalius, parit minus. Pares vaſi, quod, quanto vacuum magis, tanto ſonantius. Aut etiam illi non diſſimiles, qui Bibliothecam conquiſitis de induſtria Codicibus quam inſtructiſſimam ambitioſe oſtentat, Auctores ex ordine nominat, mirifice praedicat, Nuperos Veteribus praeſtare copioſe declamitat; ſed vero

Quid tum ? ſi totos dormire jubentur in annos
Pulvere conſperſi, & praebent convivia blattis?
Ipſe autem praeter titulos vix attigit unquam?

Quamquam nihil ego hoc loco de tua ADVERSARIE doctrina, nihil de eruditione ſtatuere velim, quum iſtud a propoſito meo utcumque diſcrepet. Quare non pertendo quicquam imminuere de aliqua fortaſſe, qua ob Litterarum peritiam ſuſpiceris exiſtimatione: eſto tu multijugi Scientiarum apparatu praedives, eſto potiore loco conſpicuus in ILLUSTRIBUS ACADEMIIS, quas

vo-

vocatis Arcadum, & Infoecundorum: in eo tamen coercendus acrius, castigandusque omnino es, quod Regionis, ac Patriae nostrae decoro Nomini, atque Famae, (veluti contestatum est) notoriis conceptisque verbis derogaris, cum videlicet in Hungaria *nullas esse Litteras*; *aut prava illas, inutilique ratione tradi colique*, in Vulgus, publicumque spargere non sis veritus.

Ostĕditur vitio verti nō posse HUNGARIS defectum HISTORIAE Ruderum, aut SCIENTIAE LAPIDARIS ac NUMMARIAE.

Ecquas enim tu ibi Litteras requiris? quas? quas quaeso Scientias illic atque Doctrinas desiderari putes? quarum denique calamitosam Orbitatem operose exaggeras? Percurramus velim (speciatim) potiores quasque. Una proinde illarum fuerit fortasse, quam Historiam Ruderum, sive Scientiam Lapidarem, ac etiam Nummariam vocant? utpote quae ex pervetustis rubidisque nummis, ex semesis & vetustate collapsis molibus, nec non truncis mutilisque statuis, marmoreorum Numinum Hominumque, priscis monumentis, Cognitionem Chronographicam rerum antiquissimarum probe percipit, atque colligit: Anachronismos deprehendit: plura denique cum scitu necessaria, tum & pulcherrima, ad nostram usque aetatem per seriem temporum deducit, quae immortali olim pro memoria gerebantur. Fateor equidem hujusmodi Scientiam haud ita pridem eruderatam, in Hungaria non tam non deficere, quam locum non habere. Enim-

Enimvero ut laudabilis, ac proficua ipſa ſit (quam ſudate, ac etiam egregie vindicat contra cavillationes MACEDONIS doctiſſimus NORISIUS (a) & fruſtra inſectatur L. SECTANUS nuperis ſuis mordacibus, ac lutulentis Satyricis) (b) in HUNGARIA nihilominus neq; materiam invenit, neq; proinde uſui eſſe poteſt. Quippe Numiſmata Veterum Rom. Imperii Principum, vix quaedam in arcis abdimus, ſed neque in arvis noſtris facile repererit

Laterani Vinitor agri,

Quisquis & incurvo ſubigit latia arva ligone.

Minus autem Deorum Simulacra, aut Antiquorum effigies, aut Buſta, ſepultaque ſuiſmet ruinis Sepulchra, aut priſcorum res temporum narrantes lapides & recitantia ſaxa, e Telluris noſtrae finibus uſquam protrahuntur. Si quocirca ADVERSARIE, SCIENTIAM RUDERUM in HUNGARIAM inferri cupias, pro ea ſcilicet ſolicitudine, quam in nos Litteris excolendos inis, geriſque ardentiorem, Doſſuarium provideas oportet, qui Moles, inſcriptaque vetuſtis characteribus ſaxa, illo comportet, a quibus eam demum opportune ac percommode mutuemur. Potius namque in his, quam in ingenio reſidere, quibuſdam plus aequo argutis putatur. Quamquam ſi defectu illius, calamitoſa tibi, ac Litterarum expers habeatur REGIO NOSTRA, jam omnibus facile Provinciis, praeter praecipuas Urbeis ITALIAE (quae

(a) In Adventoria circa medium in fine Tom. I.

(b) Sermone 3. Pag. 37. & ſeq.

 ipſae

ipſae quoque ſuperioribus duntaxat annis eam ſibi Eruditionem comparavere) hujuſmodi infamiam attribuas, neceſſe eſt. Quod, quam ſeipſo perſpicuum ſit, tute ipſe obſervas. Quid vero ? in illuſtriſſima quoque ac doctiſſima Venetorum Republica inſcitia haec, atque ruditas, opprobretur, planum eſt: Siquidem nullas illic Statuas, quibuſcumque agatur harpagonibus, protraxeris. Quippe notum apprime fuerit, ex everſae manu HUNGARORUM AQUILEJAE reliquiis, pluribus ab hinc ſaeculis Civitatem illam ac Populum jam fere perditum, de fundo Sinus Adriatici in AEſtuariis, ſcirpos inter & carices optimo ſane Fato emerſiſſe. (a) Ubi proinde neque PHIDIAS ullus, neque PRAXITELES cunctis retro ſaeculis quicquam caelaverit.

[a] Bonfinius, Inchoff. ad Annum Chr. 451. 452. Blondus, Laurentius Monachus, Scriptor Venetus, Ad annū 452. Indict. 5. &c.

Laus Philoſophiae Recentiorum, ſive Mechanicae.

Verum, arbitror ego, nequaquam SCIENTIAE NUMMARIAE, aut LAPIDARIS inopia, HUNGARIAM ruditate, ignorantiaque obſoleſcere tibi videri; at PHILOSOPHIAE putem RECENTIORUM egeſtate, quae CARTHESIUM, aut GASSENDUM, nuperos INVENTORES profitetur; quaeve MECHANICAE nomen ſortita eſt. Utpote cum utilis non minus, quam jucunda, veritates bene multas nedum contemplatione aſſequatur; verum ob oculos uſque ponat, & tangi fere ſentirique faciat, ac ipſo propemodum facto demonſtret. Multis praeterea MATHESEOS, GEOMETRIAE, STATICAEque interſertis cognitioni-

bus,

bus, ceu gemmis quibusdam decoretur: quae Mortalium menteis mirifice perpoliant, & ab animantibus longe fecernant. LITTERARUM autem sive bonarum ARTIUM singulare, ac praecipuum ornamentum, & flos quidam delectior jure dici, esseque debeant. Quod adeo exploratum sit, ut videlicet desiderato probatissimae istius PHILOSOPHIAE studio LITTERAE ipsae squalere, & quodammodo obliteratae esse videantur. Quia proinde HUNGARIA ejusmodi Doctrinae sortem non etiamdum sit adepta, tametsi fortasse in nugacibus, & jejunis PERIPATETICORUM titivilitiis, aut (melius) vitilitigationibus improbo feratur nisu, *nullas* iccirco probiores *habere litteras* jure comprobatur, *pravamque, & inutilem earum tradendarum, colendarumque rationem tenere.*

Reor ADVERSARIE, in tua me sensa penitius introisse, atque ex ore tuo fuisse loquutum, dum hasce periodos sic ad palatum tuum subegi. At vero si penuria istius, quam descripsimus, Eruditionis, LITTERARUM OPTIMARUM rudis audire debeat HUNGARIA, jam te quoque in societatem calamitatis accensuerit. Quippe quem non vane ominer in illo ratiocinandi genere parum admodum fuisse exercitatum, si simplicem aliquam, ac enarrantem (Sectas-Philosophicas) Cognitiognitionem, excipiam. Intelligo siquidem Praeceptore DOMINICO LAZZARINO) PATAVII Humanio-

Defectū Philosophiae Recentiorum, qua ipse careat Adversarius, haud jure opprobrare queat HUNGARIS.

res te Litteras, ac vix praeterea aliquid, condidicisse; tum Militiae fuisse adscriptum. Missione subinde obtenta, ROMAM concessisse. Heic priora illa mitiora Studia, Eloquentiam in primis repetere, atque in ediscendam una JURISPRUDENTIAM, utcumque incumbere; reliquum postea temporis, aut potiorem sane partem, in famulatu, & obsequio Maecenatum impendere, insumere, collocare. Quae integra fere vitae tuae Ratio, quam ab optimis Amicorum tuorum recenter edoctus sum, mihi certo argumento fuerit, exiguum te sudorem in MECHANICAE PHILOSOPHIAE gratiam aut eliquasse antea, aut in praesens eliquare; ac propterea minus in ea, aut paullo magis quam HUNGAROS esse versatum. Quod si quocirca illius nobis ignorantiam oggerere pergas ac vitio tribuere, cur quaeso vel hiscere ausis? cur sordes nobis adlinis, ac te ipsum non repurgas? cur doceri nos egere, judicium tibi arrogas, quum ipse nescias?

Doctrinam usumq; Mathefeos, Geometriae Staticaeque vigere in HUNGARIA.

Jam vero (quod ad propositum propius faciat) longissime omnino a vero abest, *Mathefeos*, *Geometriae*, *Staticaeque*, & hujusmodi RERUM Cognitiones, usumque earum ab HUNGARIA prorsus exulare, aut *pravam*, *& inutilem earum tradendarum, colendarumque suscipi rationem*. Enimvero, in ACADEMIA TYRNAVIENSI, quae haud sane multis ITALIAE, etiam praecipuis (pace omnium dixero)

ro)

ro) excellentiam, praeſtantiamque concedat; quaeve univerſis LITTERARIIS DISCIPLINIS inſigniter, & amplius ſaeculo effloreſcit; atque bis mille, aut facile pluribus a Diſcipulis in annos ſingulos aditur; in ACADEMIA inquam TYRNAVIENSI Publicus MATHESEOS Doctor deſtinato jam olim liberali ſtipendio conſtitutus, & ſuſcepti muneris parteis implet naviter, & HUNGARICARUM LITTERARUM decus egregie ſuſtinet. Alter, in Auri Argentique, nec non Hydargyri ſive Mercurii, Cinnabaris nativae, Antimonii, Aeris, Cupri, Stanni, Plumbi, Ferri denique, clariſſimis HUNGARIAE Fodinis; hoc eſt: in Civitate praepotenti nobis SELMECIO, SCHEMNICIO Teutonibus, quae Montanarum Urbium fere princeps eſt; alter (ajebam) urbano alios, alios regali ſumptu, in modo commemoratis DISCIPLINIS non modo continenter, at cumulato etiam cum fructu inſtituit. Immo immo in hac ipſa, ac aliis (quae complures ſunt) metallorum quorumvis feracibus CIVITATIBUS, admiranda prædictarum ARTIUM, ac ſane prodigioſa, & incredibilia opera, (quae nuſquam tota qua patet ITALIA conſpicias) quotidie fieri, novaque novis ſuperinduci

auribus arrectis, atque ore patente ſtuperes.

Illic ſiquidem in barathris, quadringentos, & amplius pedes intra petrarum perpetuarum ſinus defoſſis, alibi reſtagnantes, ebullientes alibi

bi aquas, metallorumq; fossoribus officientes atque importunas, inde ab imo (quod vix credas, minus autem capias) ignis (adversum elementum) ignis protrahit, & ejectat incredibili copia, modo prorsus inusitato. Illic ab remotissimis hisce,altissimisque cavernis, ac voraginibus, aer malignus propulsatur, & alius humanae salubris respirationi, a terrae facie insufflatur. Illic a pluribus passuum millibus per media cavatorum saxorum, montiumque immanium viscera, invita, ac remurmurans unda contra naturae ingenium susdeque perducitur, & ad officinarum fabricarumque innumerarum usus, fit obnoxia. Haereres, tuique impos (nil verius) fieres, dum coram intuerere admirabili illam artificio, unam eandemque, centum diversa operari: ignes accendere, sufflareque; rursus restinguere: petras quatere, comminuere; aurum, argentumque a pulvere secernere; attollere machinas, tuditesque,ac malleos immensi ponderis: huc demum, & illuc, antrorsum, retrorsumque, modo languidius, modo vehementius, nunc pleno alveo, iterum per siphunculos & canaliculos,pro rerum exigentia praesto esse: nutibus deniquePraefectorum exactissime obaudire.

Illic praeterea montes nubibus immissi, & insinuati, ac perhorridis vallibus dividui, opportunissimo viarum compendio summos apud vertices copulantur, plananturque : ut profecto non ca-

capias, qua ratione factum sit, quod insuperabilia, & vix avibus habitata cacumina, planum, & coaequatum iter, curribus, hominibusque praebeant. Illic postea, de pusillo lapide e vena terrae metallica deprompto, aurum ab argento, cupro, stanno, plumbo, Artifices illi scientissimi igne judice in conspectu separant, ac discernunt. Atque quod observavi quidem, assequi tamen haud poteram; noverunt homines longe peritissimi quot auri, argentique unciae delitescant hac certa in congerie concretorum etiamdum, ac temere in pondus sumptorum lapidum. Dies me tandem defecerit, si universa Artefactorum portenta narratione complecti velim, quae in HUNGARIAE Fodinis Viri MATHESEOS, ac omnis GEOMETRIAE, STATICAEq; oppido gnari, in dies emoliuntur. Quae sicuti acutissimae industriae sunt, ita opimum censum redhibent, & maximam impensam levant. Ambigis ADVERSARIE? adi velim, tumet vide, tumet inspice, tumet perlustra. Quod utinam factum abs te fuisset, antequam HUNGARIAE Eruditionem tua unius licentia, non experientia propria, non ullius probati Fide, auctoritate ac judicio, susdeque ferre in animum induxeras.

Sed jam ad PHILOSOPHIAM, quae hodie RECENTIORUM audit, sermonem destinato advertamus. Et vero, haud quemquam praeterit, varium & mutabile VULGUS, quemadmodum novorum per-

cupi-

cupidum esse solere; ita dato veluti Classico ea mox complecti, & consectari. Secus tamen sentiendum de SAPIENTIBUS. Quippe quibus convenerit licet mutare consilium, haud praepropere nihilominus, ac repentino: verum cum ratio suadet, cum jubet aequitas, cum apertae, aut saltem lucidioris veritatis pondus eodem inclinat. Posthaec, nemo nescit ante CARTHESIUM, GASSENDUMque, & alios, quos aetas tulit novior Philosophos, PERIPATETICORUM Doctrinam toto Christiani Orbis ambitu plurima Saecula viguisse, neque vero etiamdum (uti locutulejus hic, & ille obstrepit) prorsus collabascere, sed adhuc dubio procul mole sua firmiter consistere.

Comendatio Philosophiae Peripateticorum ab Antiquitate; ab Auctore; a Sectatoribus postea; tum ab usu Ecclesiae.

Hujus Author (quid enim magis evulgatum?) ARISTOTELES STAGIRITES *Vir summo ingenio, & Scientiae copia*: (a) *quo quis doctior? quis acutior? quis in rebus, vel inveniendis, vel judicandis acrior unquam fuit?* (b) *Summus utique in omni Doctrina, & immensae subtilitatis* (c). *Quem dubito Scientia rerum, an Scriptorum copia? an eloquendi suavitate? an inventionum acumine? an varietate operum clariorem putem?* (d) Nec vane proinde a PLATONE praedicatum *Anagnosten, & veritatis Philosophum, & mentem Scholae*. In hujus igtur litteraria monumenta, quae auro, cedroque dignissima, Doctorum Antesignanis continenter habita sunt, post alios, THOMAS inprimis de AQUINO, & JOANNES DUNS SCOTUS (Ma-

(a) Ex Cic. Tusc. Disput. l. 1. c. 3.
(b) Ex eodem alibi.
(c) Ex Plinio.
(d) Ex Quintiliano.

(Magiſtri profecto divini, ac Caelo potius demiſſi, quam communes terrae filii, etſi in nonnullis haud tantae molis, diſſentientes) inſignes Commentarios elaborata collectione, accurationeque, ac diſpunctione plane confecerant. Qui deinde longiſſimis temporibus FAMILIAS duarum SECTARUM PERIPATETICARUM (cunctorum judicio principes) duxere, citra audaciorem cujuſquam refragationem. Quo factum, ut PERIPATETICORUM DOCTRINAM tantis DUCIBUS provectam dum Mundus ERUDITORUM quaquaverſum complecteretur, dumque huic certe uni adſurgeret, ECCLESIA quoque SANCTA DEI eidem ipſi plurimum conſtanter tribuerit. Atqueadeo ad Sacroſancta uſque Dogmata, quantum fas erat, illam cooptaverit, ac veluti conſecratam, proque ſua quodammodo receptam, eis ſubſervire, (& ut ita dicam) ancillari juſſerit. Id quod non obſcure innuit Praeceptor Angelicus Primae Partis Quaeſt. prima.

Cauſſae recedendi Recentioribus Philoſophis à Doctrina Peripateticorum.

Lapſu porro ſaeculorum curioſius quibuſdam rerum principia rimantibus, improboque ſtudio, ac demerſione perveſtigantibus, ad quae nimirum tanquam primigenia Elementa ſingula Mundi corpora, ad quas origines, cauſſas, primaque ſemina, tot enaſcentes longe diſparatos effectus reduci certius, revocarique oporteret; plura pro inconcuſſis diutiſſime tradita ARISTOTELIORUM SCITA PLACITAque, tanquam cum vero minus, quam

creditum fuit, consentientia, sed neque tandem ARISTOTELIS genuina, insuper habenda esse censuerunt. Siquidem adinventum sit (a) Clarissimi alioquin, ac sine dubitatione PRINCIPIS PHILOSOPHI SCRIPTA authentica, (quorum THEOPHRASTUS NELEUM SCEPSIUM fecerat haeredem) diu terrae defossa haesisse ATTALICORUM Regum metu: Atque tumdemum, cum jam pene blattae, ac tineae ea depastae, cum humor labefactaverat, cum injuria loci corruperat, eruta, APPELLICONI TEJO vendita fuisse: a quo, sicuti postea (e Graecia per L. SYLLAM ROMAM translata) abs TYRANNIONE quoque GRAMMATICO, prout visum fuit, aut fieri potuit, multis repositis, additis, detractis, permutatisque, & substitutis, interpolata, proindeque sublestae fidei haud parum admodum esse reddita (b).

Qua de caussa (uti existimatum fuit) aequissima, RECENTIORES isti PHILOSOPHI nova SYSTEMATA, INSTITUTAque PHILOSOPHIAE, haud parum inter se diffidentia, ad veritatem indagandam adornavere: quae in GASSENDO, CARTHESIO, NEUTHONIO, aliisque. Ut autem invidiam ipsi novitatis frangerent, Doctrinam recens increbrescentem, illam cumprimis de Atomis, vel Corpusculis, sive moleculis exilibus, ac minutissimas (ut dicam) loci capedunculas implentibus, vetustissimis a Tritavis, & bello usque Trojano antiquioribus ABORIGINIBUS repetunt (c). Itaque ad OCHUM usque

PHOE-

(a) Ex Strabone Plutarch.

(b) Videndae Exerc. Paradox Gassendi to. 3. lib. 1.

Vetusta licet, sed obscura, & contempta initia Recentioris Systematis, compingentis substantias corporeas ex Atomis, vel fors etiam Moleculis.

(c) Vide Fortunatum a Brixia in sua Physica.

PHOENICIUM, ac MOSEM ipsum, ejus veneranda cunabula reducunt. (a) Luculentius tamen DEMOCRITO, & EPICURO, disertioribus nimirum Satoribus, & Inventoribus gloriantur (b). Quamquam autem CICERO, Homo acerrimi judicii, & aequi rectique studiosissimus, expendens DEMOCRITI, atque EPICURI Commentationes, candide id, quod senserat enunciaverit (c). *Effici complexiones, & copulationes, & adhaesitationes Atomorum inter se, ex quo efficeretur Mundus, omnesque partes Mundi, quaeque in eo essent; res tota ficta pueriliter*: Quamquam deinde ipse quoque CARTHESIUS secretiore Numine (putem) impulsus, in haec verba eruperit: *Illa mea de Principiis fabula*; tamen labore incredibili, indefessa contemplatione, sudatis lucubrationibus cum rara ingenii perspicacia conjunctis, eo rem adduxere aliquando, noviores isti PHILOSOPHI, tantundem illustravere, explanavere, atque ad explicanda phoenomena, & insolita, aut recondita Terrae ac Caeli, rerumque sub sensum cadentium arcana, accomodavere, peregrina ista, aut obsoleta, & inusitata retroactis lustris DOGMATA, ut sapientissimi hodie, iique permulti Viri, eis non quomodocumque, aut assentando; sed plene omnino, atque ex animo assentiendo adhaerescant. Illorum de numero censeri, propalamque indicari, & gestiant, & gloriae, ac eruditionis potiore loco reponant.

(a) Ex Huetio demonstrat Evang. Prop. 4.

(b) Vide Fort. a Brixia in sua Physic.

(c) De Fin. bon. & mal. l. 1. c. 6. 19.

Hodierna incrementa Systematis Molecularum, vel etiam Atomorum.

Quod io! Felix, Faustum, Fortunatumque sit.

Quum proinde (ut a diverticulo redeamus) quum inquam HUNGARI, ista *auspicato, & avibus addicentibus* coepta, jamque per ITALIAM, GALLIAM, BRITANNIAMq;, singulares eruditae EUROPAE Parteis propagata, peropportuna & expeditissima philosophandi ratione nondum initiati sint; contra vero in spinosa PERIPATETICORUM abstractione occalescant, illudque intricatissimum sciendi genus, aridum praeterea, jejunum, enectumque, dedita contentione affectentur, istud forsitan in caussa fuerit, ut nullas ADVERSARIE iis tu germanas esse, frugique LITTERAS, aut *prava illas, & cassa tradi, colique methodo*, prorsus autumes, & apud te omnino concludas? Verum, si ita quidem, vide sis, quam parum caute. Etsi enim HUNGAROS neque sciam, neque etiam velim ex eis esse, *qui rationem nullam reddunt, sed ad majorum judicia confugiunt, quod illi Sapientes fuerint, illi probaverint, illi scierint quid esset optimum*: (a) *maluntque errare, eamque sententiam, quam adamarunt, pugnacissime defendere, quam sine pertinacia, quid constantissime dicatur, exquirere*: (b) *utpote,*

Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt;
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quae
Imberbes didicere, Senes perdenda fateri (c).

Etsi (dicebam) GENTILES meos, neque sciam, neque velim hujusmodi esse; quippe qui RECENTIO-

(a) Clem. Alex. Strom. l. 1.

(b) Lactant. l. 5. Divin. Instit. c. 2.

(c) Hor. l. 2. Ep. 1.

TIORUM PHILOSOPHIAM nedum non subsannant, verum & suspiciunt, & suos in usus plura ab eis sublime cogitata, utilissime inventa, perbelle elucidata, ac sapienter ordinata, in usus inquam suos jam dudum traducere orsi sunt, ac deinceps quoque sunt amplius traducturi: tamen si etiam obstinatius, atque mordicus, unam PERIPATETICORUM Doctrinam retinere pergant, quam per manus ab ABAVIS accepere, minime profecto hac re *nullas ipsi Litteras, aut pravas, & inutiles* habere dici poterunt. Etenim nondum sane, nisi quadamtenus, ac tenui conjectura compertum est, eos (ARISTOTELIOS) vere ac genuine non esse; sive germanam tanti Magistri sententiam ad eos haud pervenisse, sed ascitam aliquam, sed subreptitiam. Tumvero, nondum certe ipsi per AEmulos hodiernos, ex Arce si non manifestae veritatis, saltem paris, & aequae probabilitatis (quantum quidem ego adsequor:) sunt exturbati. Insuper: ASSERTA, DOGMATAque illorum, ad explicanda usitato more Christianae Religionis Mysteria multum, commodumq; succurrunt, ac subveniunt: Cum potissime *de Sacramento Eucharistiae*, cum *de Distinctione in Divinis*, *de Assumptione Naturae Humanae ad Sacrosanctam* (uti vocant) *Hypostasim*, nec non aliis summae considerationis momentis, quaestio instituitur. Atque praeterea, Duce, Praeceprore,

HUNGARI nedū non aspernantur Recentiorū Philosophiā; verum meliora quaedā ex ea delibant. Tametsi autē Peripateticorum unam illam, constanter retinerent, non ob id pravas Litteras habuerint.

In-

Interpreteque ac Doctore, THOMA illo, humana sane ingenia praetervecto nitantur. Cum quo fere satius, quomodo Cicero (a) cum Platone, errare malle queant, quam cum istis nuperis PHILOSOPHIAE INSTAURATORIBUS, vera, (si tamen sint) sentire. Adde: quod M. TULLIUS, tametsi, PLATONEM maximi semper fecerit, inque Astra extulerit, ac *Deum quemdam Philosophorum* quodam loco nuncuparit, de PERIPATETICIS nihilominus immortalem commendationem expromat: *Peripatetici* inquit *familiares nostri*; *quibus nihil est uberius, nihil eruditius, nihil gravius* (b).

(a) Tusc. Qu. L. 1. c. 17.

(b) Ibid. c. 3.

Ac denique; si tibi ADVERSARIE LITTERARUM cultarum rudes HUNGARI, quia PERIPATETICI; universus litteratus Orbis, ROMA ipsa Studiorum ALTRIX maxima, ipsa ITALIA longe florentissima, totque postea ingenia, ac celeberrima SCRIPTORUM Nomina, qui litterariam Remp. pluribus retro saeculis cumulato Eruditionis censu adauxere, indoctum quid fuerint, aut fucum solummodo assimulatae cujusquam Doctrinae vel nuper ostentaverint, est necesse. Quandoquidem, & omnibus his, & ubique, & continenti ordine PERIPATETICA PLACITA, SCITAque ac THEOREMATA, paucis ab hinc Calendis, atque semper antea, adprobata fuerint & recepta. Consequens praeterea est, ut eodem inscitiae dedecore confundas cum HUNGARIS inclytissimas Academias,

Lo-

LOVANIENSEM, DUACENAM, SALMATICENSEM, CONIMBRICANAM, COMPLUTENSEM, COLONIENSEM, PRAGENSEM, VIENNENSEM, OENIPONTANAM, & reliquas haud prō numero: in quibus non alius certe in praesens, quam ARISTOTELES, DICTATOR MAXIMUS, jura legesque philosophandi praestituit. Cum autem haud arbitrer istoc audaciae genus te arrogare, ut nimirum adversus tot tantaq; LITTERARUM pervetusta DOMICILIA, immo quaedam EMPORIA judicio inturgeas; non erit cur hac de caussa (quam pene mei immemor prolixius pertractavi) HUNGARIAE egregias deesse LITTERAS occlamites, aut inhonora illam inscitia sordescere.

Quare (amabo) dic aliquando ingenue, quae illae insignes (quas oggeris) LITTERAE, in PATRIA nostra prorsus incognitae sint, ac peregrinae? Nisi vero Graecae fortasse, Hebraicae, Chaldaicae, aut AEgyptiae? quibus ERUDITAE quoq; ITALIAE Civitates plerumque viduae sunt. Enimvero, ni exoticas aliquas fabaudias, aut ejusmodi, sine quibus, egregiae frugique LITTERAE adhuc nihilominus nominentur, ac reipsa sint; ni hujusmodi (inquam) LITTERAS intelligas, atque praefracte exigas (quamquam, & harum aliquarum quisquam vigor sit in HUNGARIA, praesertim GRAECARUM, & HEBRAICARUM) equidem quotidianae, solidae illae, usitataeque LITTERAE, in HUNGARIA nedum hospitium pervetus obtinent, verum etiam

In HUNGARIA adest usus quidam Hebraicarum, Graecarumq; Litterarum: Solidae vero, & usitatae aliae Litterae, ac Disciplinae, omnino florent.

etiam Civitatem,& necessitudinem, & pretium, & cultum. Viget proinde illic, & viget sane haud mediocriter,primum quidem THEOLOGIA, sive illa quam THEORICAM, seu SCHOLASTICAM appellitant; sive quae POLEMICA dicitur, atque Controversias *Orthodoxos* inter, ac *Desciscentes* agitat, horumque perperam sentientium putidos nervos elidit: sive POSITIVA, quae de Scripturis, Traditione, Conciliis, Patrumque consensione, tanquam illimibus, & luculentis Fontibus ad liquido demostrandas Sanctae Religionis Formulas, argumenta rite ducit, ac derivat. Sive demum illa MORALIS, quae ad Virtutem instituit, Legem Dei pariter & ECCLESIAE proponit; Noxiae, quae, & quantae sint, quive devitandae, plectendae, expiandae, recte atque ordine informat. Viget praeterea JURIS CANONICI, (quod ajunt) pluribus in locis; CIVILIS item & (ut plurimum) MUNICIPALIS studium, usus, exercitatio: Ut profecto Causidicorum, & Advocatorum *utriusque Fori*, Greges usque circumagat Gens illa nostratium, litibus agitandis, dicendisque Caussis (quid enim negem?) multum implicita, assuetaque. Quam eapropter veteri proverbio Finitimi dictitent *aut calamo, aut gladio continenter bellum gerere*. Praelegitur postmodum PHILOSOPHIA PERIPATETICA; quam tamen Quaesitis etiam *practicis*, ac navae experientiae subjectis, non
raro

raro interpolamus: quo feriatum tantiſper ab *ſecundis intentionibus* animum, recreêmus, & quippiam oblectamenti admiſceamus abreptae, ac faſtidioſae contemplationi.

Quod ſi porro tantundem ego extulero, ac magnificavero Res noſtras, quantum tu ADVERSARIE commiſiſti, ut deprimeres; atque ſi de GRAMMATICAE, POESIS, RHETORICAE, ac utiliſſimæ Artium, quae dati, acceptique Rationem conficere doceat, DISCIPLINIS, collatio fiat, haud equidem erubeſcam aſſerere, non longe admodum HUNGARIAM eſſe inferiorem jam nunc ITALIA. Etſi autem non me praetereat, ultroque admittam, in praecipuis ITALIAE Urbibus (a quibus, tanquam ſcatebris optimae in Orbem Litterae perpetuo dimanarunt) ELOQUENTIAM in primis, ad primaevam venuſtatem, qualis TULLII temporibus enitebat, poſtliminio jam fere rediviſſe; minime tamen conceſſerim Sermonem latinum, ac totas mitiores Muſas percrebuiſſe magis, magiſq; eſſe familiares, ac denique uſu frequentiores, quam in HUNGARIA. Ut ſane, politioribus licet ITALIAE Litteris auream eſſe redditam AEtatem jure propemodum venditare potueris, tamen non niſi perperam, atque injuria abs te dictum ſit, *nullas* HUNGARIS, *aut pravas, & inutiles poſſideri Litteras*. Quippe, (demus) mediocritatem illas non exaequare; in arduis nihil-

In HUNGARIA Latinae Litterae adeo frequentes, ut vix uſquã magis: neque ſane pravae & efferatae: ut ejuſmodi minimum, qualibus Adverſarius cõſpicuum ſe putat.

hilominus, atque praeclaris (teste CICERONE) etiam mediocritas laudi est. Quamquam (ut intrepide fatear quod res est, Humaniores nostrae Litterae, aut AEnea profecto AEtate castigatiores, & elimatiores plerumque sunt; aut propediem cum Argentea quoque comparandae, vel eidem plane antecessurae.

Verum addubitas? Sed immo inficiaris pervicacius, quemadmodum caepisti, haec talia, totidemque Scientiarum, ac praestantium Doctrinarum, quae connumeravimus subsidia, & honestamenta HUNGARIAE suppetere? Adi velim (qui enim facilius credas?) adi TYRNAVIAM, CASSIAM, BUDAM, CLAUDIOPOLIM, JAVARINUM, PISONIUM, NITRIAM, VACIAM, ZAGRABIAM, SEMPRONIUM, PESTHUM, AGRIAM, COMORRAM, GINSIUM, EPERIESINUM, SZEGEDINUM, VARADINUM, TERENTIUM, LEUTSOVIAM, NOVUMSOLIUM, QUINQUEECCLESIAS, & alias complures REGIONUM nostrarum Civitates; in quarum singulis, si non ubique congesta adjunctaque omnia, dispertita profecto reperies & florere haud postreme, & uberi etiam ac opimo fructu communicari frequentissimacũ Juventute. Quo fit (ut nihil dicam de PHILOSOPHIA, ac THEOLOGIA, de quibus jam aliquid, pluraque dein) quo (inquam) fit, ut sane non debeant DIOGENIS lucerna perquiri, qui in stylo Oratorio, Poetico, Historico, sin minus controversiam fecerint

rint

rint CISALPINIS, tecum ſaltem, quantum hoc in genere valeant, periculum facere ſemper ſint comparati. Atque age ſodes

Congredere Eloquio, vel Carmine, delige quod vis;
Ipſe ego pro Sociis pergam contendere vires:
Nec certe ancipiti tecum concurrero Marte.
Scilicet haud tantum, quantum ſi me aſſiliat mus,
Te moror; aut veſcis pugnet ſi muſca lacertis.
Et mihi vena ſalit, viget & mihi Carminis ardor,
Me quoque nutrices Vatem finxere Sorores,
Aptaque Caſtalia tinxere aſpergine labra.
Atque meo pariter conſedit Tullius ore,
Non prorſus macer, exuccus, jejunus & ille:
Sim licet exiguus, neque par Noſtratibus uſquam.

Quid vero? obluctari? aut quicquam adhuc obtendere auſis? Ita equidem. Tranſmittis enimvero, compluribus HUNGARIAE locis tractari, & condoceri qualeſcumque Litteras; at *pravam, & inutilem* denique *earum tradendarum, colendarumque rationem teneri*. O quo te Minervali, queis te condictis ſtipendiis demereamur! exoremus! advocemus! ut rectam illam, illam accuratiſſimam, multo maxime exactam, atque tandem utiliſſimam Litteras inſtillandi, laevigandique rationem, quam pectore occulis, quam Orbem Litterarium, ac nos praeſertim avarus celas, noſtras in oras, in Gymnaſia Lyceaque noſtra, tu novus ſincerioris, ac rarioris Litteraturae Parens,

Perſtringitur arrogãtia Adverſarii, qua licẽter cenſet, pravam eſſe & inutilem Litterarum tradendarũ colendarumque Rationẽ in HUNGARIA.

h 2

rens, bonis quamprimum avibus adportes, introducas. Pro! quantum nobis dolet, nullam hactenus de te famam, nullum vel minusculum rumorem, nullam quamlibet tenuem notitiam ad nos permeasse! Scilicet, quantum suo divino PLATONE doctissima ATHENARUM Civitas gloriata olim fuit; tantundem (*si parva licet componere magnis*) tantundem propemodum nos esse plausuros, dum tui nobis usuram impertiveris. Quin ades? Quin advolas? Quin velis remisque deproperas HUNGARICARUM LITTERARUM INSTAURATOR, ac DIUS certe STATOR aliquis, omni deinceps aevo dicundus? *O! quid perdidit, qui te audire non potuit!* (a)

(a) S. Aug. l. 4. contra Jul. op. imp. C. 119.

Inde, concludi necesse est, Homines nostrates, etsi permulti exteras Provincias viserint, peragrarint, introspexerint; etsi plurimi in hac URBE omnium principe, praestantissimas Litteras condidicerint (pro cujus rei fide Collegium Germanicum, & universos (qui Romae sunt) Inclytae SOCIETATIS Viros, ipsumque Sapientissimum MINERVAE Coetum appello) concludi inquam necesse est, Homines Nostrates, Purpuratos alios, alios Primores, Praesules alios; Presbyterosque, ac Regulares, (verbo) omnes illos, penes quos hoc in genere summa Rei semper fuit, ac quidlibet constituendi potestas, aut adeo stolidos obtusosque fuisse tua sententia, ut praeclaram

ram inter, ac depravatam Litteras communicandi methodum, discerniculum haud invenerint; Aut inertes adeo, & supine oscitantes, ut probiorem illam PATRIAS in SCHOLAS invehendi, negotium sibi minime unquam duxerint sumendum. Te contra tibi videri eum esse, qui ante omnes illos pernoveris, quam videlicet probatissimam rationem usitari oporteat, maximeque expediat in recte tradendis, percolendisque Litteris: Atque qui prae cunctis iis, idem ipsum exequi valeas. E quibus reor adsequeris, quam difficili, scopulosoque loco versere, inde quidem odium tibi, hinc despicatum non impune conflando. *Nam cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii multo molestissima* (a). Fac proinde (quod Veteres dicebant) *in tuum ipsius sinum inspue* (b) At, siquidem usque adeo perspicax ac lynceus tibi videare, cedo (velim) quam tu pravitatem observare poteras, quae in perverse, ac supervacanee tradendis Litteris, in HUNGARIA inveteraverit? Ego vero si me sustines, si fastidium, si molestiam non facesso, referam disertius, ecquidnam ex usu sit, MODERATORIBUS HUNGARIS, ad formandos bonis Artibus Adolescentes: id quod ipse in me Puerulo fuisse praestitum vive memini; tum vero quamdiu domi agebam, propius animadverti, comperi, exploravi.

(a) Cic. in Q. Caec. num. 36.
(b) Plin. l. 28. c. 4.

PUERULI quocirca aliquanto post, quam dulcium uberum suctu amoti sunt, dum videli-

cet

Methodus tradendi Elementa Litterarum ac Pietatis, in HUNGARIA.

cet pappant jam ipsi commode atque lallant, ad annosque discretionis petigisse indiculis non obscuris produnt, sextum itaque, aut septimum Aetatis ingressi, vel emensi, Nobiles quidem universi, plerique omnes civili conditione nati, sed & populares non pauci, aut Paedagogis Domum conductis, aut Ludi Litterarii Rectoribus apud omnem (quod dici receptum est) Parochiam, publica pensione constitutis; aut potissimum Viris Religiosis committuntur; Jesu nimirum Sociis, vel (ut plurimum) Regularibus Clericis, a Scholiis Piis nuncupatis. Hi ergo qua fieri potest facilitate, Elementa primum Litterarum internoscere; tum syllabas innectere; mox lectitare expedite; postea memoriola quaedam complecti ac etiam depromere, eos condocefaciunt. Adhæc: ductatis blande palmulis apices exarare; Pietatem superos deprecandi quam a Parentibus, aut Nutriculis combiberant, adaugere; Rudimenta Fidei Christianae ordine ediscere, proque modulo concipere, ac declarare. Paullo tardius, *Nomina* rite *per casus*, *verba per modos*, *& tempora* (uti Grammaticis loqui usuvenit) inflectere: Notiones deinde ac propietates *octo partium Orationis* primoribus quasi labris delibare: brevi demum curtulas quaspiam, easque familiares periodos latino sermone apte construere, intendendo ad regulas assidue, quibus convenienter operari

ri debeant, ni ferulam non expavescant.

Simul autem in promptiore nisu Characteres expingendi illos exercitant; nec non *Decalogum*, *Praecepta Ecclesiae*, *Sacramentorum* numerum, fructum, usumque perdocent. Methodum denique labeculas sacro in Tribunali detegendi, easque ob amorem piissimi cumprimis Numinis detestandi, naviter instillant Hipostmodum, ii nimirum, quorum paterni lares publicis a Scholis remoti sunt, tum & omnes alii, hunc in modum e vitae simul Litterarumque cunabulis utcumque educti, Insignioribus in Oppidis, ac Civitatibus aggregantur: quo videlicet (ceu de nidulis educti pulli) jam proprio quisque conatu altius in studendo nitantur, aemulatione plurium animos incendente, atque alas addente. Isthic de amiculis, Hospitio, alimentis, locupletiore Domo natis Genitorum impendiis abunde prospicitur: alii in Seminaria, & Convictus Piorum liberalitate eum in finem excitatos, ac locupletatos, cooptantur. Ubi plerique Saecularis vitae institutum retinent, multi Clericalem in ordinem adleguntur; omnes autem ad praescriptam vivendi normam, sanctam ac salutarem, sese componere, ac diem ex die ordinate ducere omnino jubentur. Egentiores tandem, (queis Domo vix quicquam suppetit, praesertim ob loci distantiam) cum per Studiorum occupationem vacat, subsidium

apud

apud divitiores rogitant, pro laudabili (quæ obtinuit) victitandi ratione. Cujusmodi pium in primis subsidium, ultro ac munifice optimi Homines elargiuntur, jam recepta in consuetudinem benevolentia. Inde profectum, quod non pauca sane numeraveris Municipia ac Civitates, quae levi calculo tercentum Alumnulos, (hoc modo opitulatae) sustentent, eisque ad STUDIA LITTERARUM prosequenda, praesenti sint adjumento.

Hujusmodi quocirca in locis (quae frequentia sunt) GYMNASIA & ACADEMIAE, confertissimae patent Juventuti. Quam viri, qui nomine SOCIORUM JESU (uti diximus,) atque CLERICORUM PIARUM SCHOLARUM censentur, post illa quae praemisimus, GRAMMATICAE deinde consummatioris INSTITUTIS, adeo perfecte confirmant, atque etiam expoliunt, ut jam Adolescentuli, & (quod EUROPA demiratur) novenos (plusve minusve) annos nati, expedite, prompte, perindeque latinam, ac vernaculam linguam loquantur. Sive demum istud felici facilique Gentis indoli, sive diligentiae Magistrorum, sive (quod verius sit) utrique imputes. Neque loquantur solum ex usu quodam ipsi & Psittacorum instar, sed vero uniuscujusque *Syntaxis*, sive *Periodi*, *generum* item, & multiformium (in quas voces permutantur) flexionum; nec non variorum construendi modorum, cum regulam, tum & caussam subi-

Methodus tradendi Institutiones Grammaticae in HUNGARIA.

ſubito reddere pernoverunt. Quin & dubia ex adverſo poſita diſtincte enodare, refellere, conciliare: Omnia vero latine; quaſi qui de HUNGARIS in LATINOS cito abierint, materni ſermonis adjumentis non amplius indigi, ac illius vix fere memores.

Ex. optima Magiſtrorũ Inſtitutione, Gentiſque felici Indole, uſus ac peritia Linguae Latinae, multum frequẽs uſque Puerulis, ac etiã poſtremae ſortis Hominibus in HUNGARIA.

Quo ex fonte promanavit, quod in HUNGARIA qui de vulgo uſque, & mediaſtinorum humilitate ſint, non raro admodum offendas, qui licet ignavia, aut iniquiore fortuna, vel alia demum ex cauſſa, ſtudiorum adminiculo meliorem ad conditionem non aſſurrexerint; tamen intrepidi, cum percunctatus es, latine reſpondeant; Doctrinamque conſtanter, ac tenaciter retineant, quam rudibus annis accepere: tametſi ipſi Ollas inter & Cacabos, inter tripodes, & alveolos, ſubulas inter & acus, inter ſtivas & ſtrigiles, inter armenta gregeſque verſentur. Quamquam iſta non ad invidiam, verum quia res ita tulerit, dicta ſunto.

Exempla Pecuariorũ Latinorum, & opinione magis eruditorum in HUNGARIA.

Quare ſi pateris, geminum exemplum ad iſtud propoſitum faciens non incongrue ſum allaturus. Accidit haud ita multo abhinc tempore, quod Viri Religioſae cujuſquam Familiae, ruente imbri contecto per arva curru proceſſerint, dum ſubulcus opico gregi paſcendo advigilans, propius viam conſiſteret. Hi ergo inacceſſa Dei judicia admirati, elatiore voce lati-

tina, haec invicem: Homo iste nihilo secius, atque nos, ad *imaginem* Dei factus, Divini Cruoris lytro assertus, ad cepessendam sempiternam Beatitudinem ordinatus, en cum Caeli nos injuriam commodissime arcemus (qui fortasse in statera ne paullo quidem plus appendimus) ipse tamen dedecorosam ad sortem damnatus, in gratiam foedissimarum pecudum tanto sub nimbo alget misere, ac tremiscit. Ille contra, sermonibus intentus, apposite, ac praeter opinionem versum hunc latinum Vatis Tomitani subnexuit: *Passibus ambiguis metam properamus ad unam.* Tum stupere illi, quaerere, urgere, num quidquam latine fari nosset? ubi gentium didicisset? an vellet ad honestiorem victitandi conditionem pertransire? Reposuit ex ordine latinus Porcarius: Se videlicet in HUNGARIA Patria sua, latinis litteris probe fuisse instructum, in Philosophia quoq; ac Theologia haud infime profecisse; hujusmodi tamen vivendi genus quod sustineret, sponte amplexum esse, utpote saluti aeternae ab se conquirendae peropportunum: quod iccirco pro nullo vellet deserere, quamdiu spiritus corpori cohaereret. Ipsi proinde cum bono Deo, via, tramiteq; suo pergerent ad metam supremam communemque, dum ille interea hoc altero delecto calle, eodem contenderet. Attoniti sapientissima, prodigiique plena facundia, se seque muti

mu-

mutuo respectantes recessere, ineffabile subinde Numen multis collaudantes, atque factum memori mente reponentes. Alterum, die fere perendino accidisse videri potest, illius siquidem ego ipse testimonium perhibeam. Alius proinde quispiam, pariter eruditus, bucerum pecus consequebatur an cornipedes, non satis reminiscor. Quia vero per distantiam immanium apud SZEGEDINUM camporum (Civitas Tibisco adjacet perampla) Christianis Sacris interesse vix unquam erat integrum, Socios per aprica Pascua CATECHESI imbuebat, a criminibus revocabat, ad secum comprecandum permovebat, *Stipendia*, (Aris operantibus) dari solita (ad litandum pro delictis eorum *Sacrosanctam Hostiam*) colligebat: quae postea Religiosorum in Coetum bis quotis annis deferre, atque simul in aure Sacerdotis onus conscientiae latine profecto deponere, solitavit: neque unquam porro passus est ab suscepta vitae ratione sese deduci dimoverique virorum illorum *Regularium* persuasionibus, locuples licet ac bene nummatus jam & esset, & audiret latinus Equiso, aut Bubulcus.

Quantum porro abest, aut quantae saltem assignemus ignominiae existere usquam in Hungaria Virum Nobilem, vel Ordinis Senatorii praecipuis cumprimis in Urbibus, qui latinae Linguae ignorantia sordeat, nemo crediderit: quip- *Dedecori haud parvo ducitur in HVNGARIA, esse Nobilē, aut Ordinis Senatorii Vi-*

rum & Linguae Latinae imperitum.

pe cum illius usus etiam Oppidanis, atque Opificibus non sit infrequens. Quapropter haud unius Exteri, praesertim qui de Italia ad Nos forte concesserit, ore prolatum fuit, quum illa, quae mox adduximus, coram deprehenderet, LATIUM videlicet nedum Coloniam olim in PANNONIAS duxisse; verum hodie Sedes quoque illo transtulisse videri: Utpote cum HUNGARIS, qui jamdiu in Pannoniis insederunt, lingua illa, vulgaris propemodum haberetur, quae olim LATINORUM erat vernacula. Et sane, quemadmodum est verissimum, ita nemini videri debet incredibile: in Curiis videlicet, Tribunalibus, Judiciis; in *Allegationibus*, *Probationibus*, *Responsionibus*; in conficiendis demum Instrumentis quorumvis *Rescriptorum*, *Contractuum*, *Transactionum*, *Donationum*, *Fassionum*, *Locationum*, nec non *Tabularum Testamenti*, sermonem latinum passim personare. Adde: Milites ipsos, Gregarii usque ordinis, quamplurimos computari satis nitida, comique latinitate in sermocinando, aut noxas Sacerdoti aperiendo: barbariem licet ipsi, ac perhorridam immanitatem ad Gentium consternationem praeseferant

HUNGARI Milites, etiam Gregarii, Latini permulti.

Intuitu, frontisque minis, armisque torosis,
Et late patulo fuscis in pectore villis,
Et setis, panda subter quae nare rigescunt;
Denique voce truci, cum tandem infrenduit ira.

Quid

Quid postea? an repereris Presbyterum in HUNGARIA, qui latini sermonis prompta, minimeque haesitante peritia non sit praeditus? Apage istos haud ferendum omnino dedecus ab inclyto CLERO nostro, ut Deo nimirum sacrati, & ipsi quidem ECCLESIAE LATINAE Homines, linguam tot Conciliorum Sacrosanctis tractatibus, Divinorumque Dogmatum Decretis, tot religiosissimis Ritibus, caeremoniis, adorandisque Mysteriis consecratam, probissime, quantum quidem pro munere ad eos pertinet, non calleant, non intelligant? Longissime profecto dissimiles iis, cujusmodi, (dum peregre proficiscerer) intra tuae putem Regionis fines semel Ego ac iterum offendebam. Ex quibus cum latine quippiam sciscitatus sum, pisce mutiores haerebant: voculam ab eis impetrare vel pretio haud poteram, adeo *Sacramentum* suae ruditatis *abscondebant*. Ne in viam me rectam (quem nescio quid barbarum fremere putabant) dirigere noverunt: immo fugere tandem latinam alloquutionem, uti praestigias, vel sinistrum augurium. Deus bone! graecine isti, an latini Ritus Sacrificuli? an ipsi vel formas Sacramentorum satis intelligant, quae latine (certe) proferuntur? Reipsa, recitant solum illi *Horas Canonicas*, ac sine *scrupulo* earum ad sensum non attendunt: neque enim possunt, cum latine ignorent. Jamvero ad impossibile neminem teneri lucu-

Nefas est in HUNGARIA, Clericum ordinari, tanto minus Presbyterum, qui Latinis Literis probe instructus nō sit.

Non profecto adeo elingues Presbyteri in HUNGARIA, quemadmodum in Regione Adversarii observati fuere ab Auctore vindicāte.

culentum eſt. Igitur ſemper ipſi (ſi Superis placeat) culpa vacabunt, nunquam licet orarint attente.

O imperitiam tanto ſane Munere indignam! Quid vero? ſi quoquam in Hungariae latibulo hujuſmodi *Myſtam* deprehendi occurreret, (quod prodigio foret ſimilius) putes? putes hem! ADVERSARIE, ad Aras illum admiſſum iri? Immo ludibrium cunctis futurum tene, ac omni miniſterio continuo depellendum. Dolet tamen, & majorem in modum dolet, quod provocatione tua irritatus (qua totis HUNGARIAE Regionibus probrum inſcitiae, ac pravae litteraturae adleviſti) ad iſta paullo procacius exaggeranda, invitum propemodum animum adjecerim: quamquam non mihi, at juſtius tibi ſuccenſere iſtud, quiſque prudens debeat, qui initium introduxiſti. Quo ſe argumento tutabatur, ac fortiter muniebat contra C. SALLUSTIUM M. TULLIUS C.; ſi tamen reſponſio illa ſit Ciceronis.

Inſtitutio HUNGARICAE Juventutis in Proſodia, & Poetice.

Sed jam veluti in conſpectu poſitum eſt, atque dictum abundius, quae videlicet ratio, quis modus obtineat apud Hungariae Praeceptores, Grammaticam, ſive recte & emendate loquendi Artem edocendi Adoleſcentes. Ita quocirca comparati, ad Proſodiam ac Poeticen manuducuntur. Heic anni circuitu, quantitatem accentumque ſyllabarum advertere, percunctantibus e veſtigio

ſtigio indicare; genera deinde metrorum, & conſtitutos eis pedes (quod ajunt) altius menti imprimere; fractos poſtea, tortoſque verſus, redintegrare; tum vero marte proprio ſenſim aliquos procudere, *Epithetis Adjunctiſque* illuſtrare: imitari impenſius claſſicorum, & in arte principum, ſtructuram, Entheum, Oeſtrumque, & Elegantias: VIRGILII in primis, OVIDII, SENECAE, HORATII, MARTIALIS, JUVENALIS, TIBULLI, PROPERTII. Eoſque nedum pervolutare, ſed Magiſtro jubenti memoriter quoque promere, in dies conſueſcunt. Iſtius autem labor eſt, iſque praecipuus, veterum omnino Poetarum vim, latentes eruditiones, ſenſus abditos, inſigniores acceſſus, impetus, tranſitiones, hypotipoſes & energias, gemmulas denique ac floſculos, ſingulareſque paratus ſolertiſſime exquirere, indicare, adaperire, explanare. Auditores (verbo) omni contentione, omnibus ſtimulis, omni induſtria, ad evolandum in Parnaſſum, ceu minores aquilas, prolicere, provocare. Quo ſane conficitur, ut acuta, pernici, atque ductili Indole Adoleſcentes noſtri, circiter curriculi iſtius exitum, & verſus recitent quamplurimos probatorum Auctorum ad omnem fere materiam congruentes; & ſuos neque temerius, neque aridiore, parcioreque vena profundant. Ipſe ego nactus fueram quoſpiam inſtitutioni noſtræ creditos, ſexdecim

(vix

(vix amplius) annos, natos; qui tempore, quod erat interdiu a ludo reliquum, caenationeque ac diverticulis, bis centum, plureisq; versus bene concinnos, & repexos pangebant, solertiaeq; ac navationis egregium periculum, atque mihi acceptissimum ingenioli partum, ad me perferebant postridie. Quos praesentem usque in horam tanquam dilectum pignus, ac mnemosynon, meliore scrinio asservare non piget.

Nunc ad RHETORICAM, Artem illam flexanimae Eloquentiae, omnium jucundissimam aeque ac pulcherrimam, facto transitu, serio, atq; etiam impensius perhibere profecto interest, quo nimirum ipsa, casso an frugi tenore methodoq; ab HUNGARIAE Magistris tradatur. Duos igitur annos huic Artium praestantissimae, nostri operam Juvenes plerumq; navant. Ut videlicet quanto diutius, tanto solidius atq; felicius, ad quiddam (suis saltem non indignum viribus) in re maxima, ac certe inexhausta, pertingant. Ptimum autem *Praecepta Rhetoricae* memoria complecti, explicata capere, controversas de iis (siquae intercurrant) quaestiones nosse dirimere, atque componere, elaborant. Deligitur iccirco, qui brevi, ac facili Methodo PRAECEPTA Artis probatissima collegit. Nunc DOMINICUS DE COLONIA, vel alius *Etruscus*, CAMILLUS NICOLIUS, e Piarum Scholarum Clericis adsumitur. Simul ergo, dum apposite dicendi

cendi PRAECEPTA pedetentim accipiunt, periodos (quae multifariam dividuntur) elegantius concinnare auspicantur, ductare fusius, vertere variareque multiplicius. Ratiocinationes dehinc ex Locis intrinsecis extrinsecisve desumere, latius tendere, eloqui nitidius. Tum figuras verborum, ac sententiarum factitare; de industria afferre hujus generis Paradigmata, sive Exempla, e selectiorum Auctorum monumentis excerpta. Tropos etiam (qui cimelia, aut quaedam lenocinia Orationis sunt, modo non ad fastidium congerantur) Tropos inquam scite commeditari, apteque, & congruenter adponere: Inde, Amplificationes de rebus propositis longiuscule proferre, innectere suis locis vividas sententias, miscere affectus. Postea PRAEEXERCITAMENTA APHTONII, *Fabulam, Narrationem Chriam & rel.* ductu Praeceptoris contexere. Sub idem tempus, Orationis Exordia quae ad intentum faciant, cum ex caussae visceribus, tum aliunde eruere: invenire demum firmamenta quaestionis ad dicendum assumptae, debilia, mediocria, fortissima: eaque in quovis dicendi genere ordinare: Formulas transitionum ab optimis Oratoribus mutuari: inspergere suis locis lumina sententiarum: facere delectum verborum: ferri pro exigentia jam lentioribus, jam concitatis affectibus, hoc, vel illo modo expressis: ac post caetera, idonea peroratione (in quam Oratio spon-

te quadam defluat) concludere: quaeve adducta decursu operis fuere, summatim in ea complecti, & compendio recensere. Addere denique motum illi vehementiorem his vel illis verborum sensuumque subsidiis ex praeclarissimis Auctoribus depromptis. Anni tandem anterioris facile dimidium, & totum alterum, in structura postissimum Orationis, & interdum *Poematis*, *Eclogae*, *Jambi*, aut *Satyrae*; operose exthahere. Cujus ardenter prosequuti studii is demum fructus enascitur, ut construant tum demum a se ipsis Juvenes, atque ad audientes non raro proferant quasdam primulas declamationes non sane strigosas, tortuosas, & enectas; verum pro teneritudine judicii, utcumque succidas nitentesque, & volubiles, atque concinnas. Pangant etiam Poemata *Sophocleo non usque indigna cothurno*, *recinantque in* SCENA, vel de SUGGESTIS.

At *naribus tu aduncis indulges* ADVERSARIE, ac prope *ingeminas tremulum naso crispante cachinnum*, (a) cum haec audis, & contra pertendas, longe alia, sive prava omnino, naucique methodo, in Rhetorica ac Poetice, HUNGARAM instituiJuventutem. Siquidem persuasum fere sit, ultra monteis, ac potissime in HUNGARIA, barbarie horribili efferatam esse Eloquentiam. Haec tu, sequutus errorem sua tantum in pretio ferentium, & aliena, ut ut aurea sint, ex inolita per-

(a) Persius. 3. 87.

persuasione tamquam fracida ac lutulenta aspernantium. At vero qua ratione superiora illa memorare poteram, ni didicissem? ubi autem didicerim? equidem in HUNGARIA. Heic in lucem effusus, heic altus, heic eductus, heic imbutus. Neq; demum alias, nisi nuperrime, cum ad Urbem accederem, ab amicissimo SOLO vel unquem latum divulsus. Dico proinde libere, hunc quidem, quem pertexui Adolescentiam formandi modum a me ipso, (dum interfuit) servatum fuisse: sed vero ab aliis HUNGARIAE Moderatoribus longe etiam teneri probiorem. Qui praetera plerique omnes (ut nihil de me afferam) sedulo, & officiose, (pro eo atque oportet) his praesertim novioribus annis efficiunt, quo nempe strenui Eloquentiae Candidati germanae latinitatis corruptela inquinatos Codices (cujusmodi, tenebris digniores, offusa haud ita pridem politioribus litteris luctuosa nocte, in lucem prodiverant bene multi) in coenum flammamq; injicerent. Eos in primis Auctores, qui summo semper loco habiti sunt, atque auream ad Aetatem sese referunt, assiduo voluerent, & intentissime observarent. MARCUM TULLIUM, (quem prensamus omnes, nullus etiamdum est adsequutus) pro eo, quantum possent, detererent, ac depascerentur. Hujus proinde unam, alteramve Orationem, lucidiorem illam, atque captui, profectuique magis accommodatam, Ma-

Lectitatio castae latinitatis Auctorū, inculcatur Adolescentibus in HUNGARIA.

ut taceam de ITALIA, quæ ipsa quoque ab ineptiis dicendi, queis fascinata fuit, sesqui ab hinc Saeculo, & quod excurrit, sese repugare coeperit; (a) Etsi inquam, haud inficier ejusmodi Stili depravationem pluribus ab hinc annis in HUNGARIAE Scholas fuisse invectam, ut praeter sonitum ludicrorum, ridiculorumque paratuum, praeter vocabulorum ineptorum, recensnatorum, vel etiam antiquatorum Sartaginem, non multum admodum referret, redoleretque Oratio; ipseque Cicero, tanquam tristis, severus, inornatus, festivique leporis inops, fastidiretur, Germanae ille Fons illimis, & inexhaustus Eloquentiae; At hodie nihilominus, haud antiquius ducimus aliquidpiam, quam TULLIANAE LINGUAE, idest: ROMANAE, quoad possumus conformari; atque idipsum, nostrae culturae commendata in Adolescentia enitimur usque impendio praestare. Ita siquidem, & illis profectum illustrem, & eximium nobis decus parari (quum neque mente, neque oculis destituamur) utique videmus. Quare pro viribus agimus, ut Eloquentiae studiosi in verbis genuinis, perspicuis, castigatis, nitidis, & praecipuam curam ponant, & voluptatem (illam virilem) persentiant. In apertis deinde, ac pondus habentibus sententiis, figuris vividis, validis momentis, atque ad assentiendum pertrahentibus, amplificatione gravi, & nequaquam redundante, affe-

Quum tale quid ITALIAE quoque intervenerit.

(a) Fam. Strada Civis Romanus L. 1. Prolus. 1. p. 19.

Species concinnandae Orationis, quæ hodie obtinuit in HUNGARIA.

affectibus huc atque illuc pro rei exigentia non igna ve inclinantibus, induſtriam collocent ſingularem. Illa demum ſidera, gemmulas illas, & blandimenta aures oblectantia, etſi rarius ac moderatius interſererent, (ne elixa atque incondita, aut depexa ſituque ſqualens videretur Oratio) haud tamen plus nimio, atque unice, auribus blandiri contenderent, eaſque permulcere, ac perpetua quadam voluptate adficere. Quum nedum in Oratione, ſed in rebus quibuſvis aliis, quae nimium delectant, ſatietate delaſſent: ut (adeo) maximis voluptatibus nauſea tandem ſit finitima. Haec itaq; habebam, quae productius dicerem Adverſarie, pro Schola Humanitatis atq; Eloquentiae Regionum noſtrarum: Tum ſcilicet, ut oſtenderem nullam in hujuſmodi quoq; Litteris tradendis, quam objectas pravitatem, aut caſſam operam apud nos invaluiſſe, quod continenter perſequor; cum vero, ut innuerem tui ſimilibus (cujuſmodi Convenae hac in Urbe plures) Ultramontanis quoque, & in ſpecie Noſtratibus, quantumlibet barbari putentur, guſtum ineſſe ſtudiumque ſincerae Eloquentiae. Ac propterea cenſeri non paucos, quorum Elocutionem arrogantiores iſti, nedum non habeant aduncis naribus ſuſpendere, ſed in manus quoque delicatas ſumere, ac quatuor etiam oculis legere minime debeant vel etiam poſſint dedignari.

Jam

Jam itaque HUMANIORUM per LITTERARUM CLASSES te circumduxi. At cum vix quicquam putarem praetermiſſum eſſe, quid videlicet nobis in more poſitum ſit in iis tradendis; illud ſupplendum venit: Adoleſcentes nimirum noſtros inde ab infimae Grammaticae ſubſelliis, Inſtituto Moderatorum Hiſtoriam ſacram & profanam ſuccinćte ac per capita memoriae mandare: dein vero ſtatis temporibus, de Saeculorum ex ordine Geſtis, de Pontificum, Principumque ſucceſſione, de Virorum olim illuſtrium Factis, Ortu, Conditione, in Hominum Praeſtantium Corona fortuito compellatos monitoſque, narrationem ſummariam faceſſere. Praeterea, Hebdomadis aliquo die (: id quod Saturni fere, ac etiam Solis diebus fit, apud CLERICOS praeſertim SCHOLARUM PIARUM) DOCTRINAM FIDEI ROMANAE, quanto majores, tanto ſolidius altiuſve exponi audiunt: quo nempe, uſu inſtitutoque APOSTOLI, *lac parvulis*, dentientibus autem *ſolidior eſca* praebeatur. Quibus de rebus impigri Moderatores ſancto certamini crebro committunt aemulos; victores munuſculis impertiunt: & qui Anni decurſu hujuſmodi ſalutari contentione antecellebant caeteris, illos (cum Drama annuum in exodio Studiorum geſtum eſt) de publico Proſcenio in Parentum lectorumque Auditorum accurſu, adplaudentibus lituis, atque tym-

Imbuuntur Hiſtoria Sacra, & profana Juvenculi HUNGARI.

Catechizantur egregie iidem, Literarũ ſimul & Pietatis Studioſi.

tympanis promulgant. Inde fit, ut isto gloriae laudatissimae gustu, ut ista acclamatione, veluti Classico quodam provocati, jam Neoptolemi bellum Haeresi intentent, ac se in dies magis, magisque adversus privatos saltem, & clandestinos FIDEI Rebellium assultus magnis animis obarment. Quemadmodum autem eadem fidelia peccati horrorem, amoremque Pietatis, tenerioribus imprimere Magistri haud negligunt; ita ad maturiores, qui de Rhetorica, Poesi, supremaque Grammatica censentur, constitutus latinus Orator, quolibet (nisi non vacet) Solis die, accommodatam dictionem pronunciat, eosque ad omnigenae Virtutis consectationem, execrationem teterrimi vitii; ad retinendam per omnem vitam Christianae Professionis inculpatam rationem concitat, incendit, inflammat.

Post acceptas Humaniores Litteras, Arithmetica instituitur Juventus HUNGARA.

Hunc in modum educti, edoctique nostri quos fingimus Juvenes, mitioribus a Musis, velut optimis a Nutricibus divelluntur. Atque quidam eorum iique permulti, solidioris Arithmeticae Studio manum admovent, cujus primordia singulas per Scholarum Classes antea delibabant: (cujusmodi quidem pernecessarii Studii usum fructumve, uni, ac soli saneacceptum refert HUNGARIA SCHOLARUM PIARUM INSTITUTO) Alii demum rebus mundanis valere jussis, utpote fluxis ac cito perituris; Clericalem,

Re-

Regulariumque in Ordinem sese redigunt: Plerique Genus, Remque domesticam aucturi & illustraturi, Studium litterarium ulteriorum Disciplinarum prosequuntur. Itaque & hi quidem & illi alii, dum per Majores licet, PHILOSOPHIAE condiscendae, qui biennio, qui triennio mentem adjiciunt. PHILOSOPHIAE vero (id quod jam retuli) PERIPATETICAE: quae ad JURISPRUDENTIAM ac THEOLOGIAM non mediocria adferre adjumenta Eruditorum Orbi semper visa fuit. Neque sane hodiernorum quorumdam cavillatio, auctoritatem illius, roburque subvertere, aut elevare unquam poterit. Quamquam, ne praejudiciis pertinacius occupari videamur, de PHILOSOPHIA quoque MECHANICA, ac RECENTIORE sumptis quibusdam utilioribus, & majore evidentia nixis eos imbuere, confirmareque, istamque nostram Pripateticam quodammodo interpolare, & quasi depexam, noviorem reddere; jam & coepimus, (ut quodam loco memini) atque deinceps multo etiam solicitius facturi sumus. Tum, ut fere jam publico Doctiorum judicio gratificemur, simusque obnoxii; cum etiam, ut rescissis nonnullis, (quae haud nostra, verum Orbis prope culpa, ad excitandum puta, excolendumque intellectum obrepserant) magis valitura substituamus, ac etiam humanae consuetudini amoeniora. Ad hanc proinde disceptandi, veritatemque indagandi magi-

Pleriq; Adolescentes HVNGARI Philosophiae operam dant.

Artem navi Adolescentes nostri magno animo, numeroque sese applicant: Siquidem in Academia *Tyrnaviensi* facile trecentos, *Budensi* fere totidem, *Cassoviensi*, *Javarinensi*, *Claudiopolitana*, *Zagrabina & rel.* paullo pauciores connumeres.

Eorum insignis, ac celer Profectus in Philosophia.

Quanto vero profectu, quam sublime, per ingenitam eamque facillimam ingenii vim brevi intervallo enitantur plerique omnes, dictu permirum est. Certe emenso curriculo, methodo plane *Dialecticis* usitata, & catenatis, pressis, arduis, intricatisque argumentationibus in horas producta, ad centum, & amplius Theoremata, sæpe sine ullo Magistri praesidio defensanda, sese permulti intrepide comparant. Tum vero haud praevisa, vel indicata, quae ab *Oppugnatoribus* ad disputandum delecta fuit Quaestione, argumenta proposita alacrius, ac fluide resumunt, dissolvunt exacte nodos ratiocinationum, difficultates mire eliquant, & dispungunt. Non nescio quidem VOLATERRANO excidisse, *Hungaros omnium Artium esse indociles praeterquam militaris.*(a) Quam tamen ille falsus, hallucinatusque sit, quisque (velim) animadvertat. Libenter ipse ex ore jactantium excipiebat, VOLATERRIS Patria sua, *coelesti sub signo sagittarii* posita, *solida, & beneficio Mercurii versatilia ingenia gigni*; Atqui HUNGARIA quoque nostra, (citra ullius dubitationem) eidem *Signo coelesti* subest; (b) aut igitur VOLATERRANUS VOLA-

HUNGARI quemadmodũ ad Artem militarem, ita ad Sciẽtias quoque prompte cõdiscendas nati.

(a) l. 7. Geogr. in Pannonia.

(b) utitur hoc argum. Inchof. in Appar. ad Annal. Hung.

LATERRIS ſtupidus hebeſque prodierit; aut HUNGARIS eximii ingenii laudem non deripiat. Sincerius profecto *Petrus Bizar.* (a) profitetur, *ad omnia litterarum ſumma natos* HUNGAROS, *ſive indulgentia Coeli, ſive induſtria, & indoles animi attendatur; quod nemo, niſi inexperiens inficietur.* Quid vero? an non ad manum eſt praeclariſſimum teſtimonium, omnique majus exceptione, DIVUS HIERONYMUS, percantatus ECCLESIAE DOCTOR, univerſamque Scientiarum *Encyclopaediam* (ut ajunt) pectore complexus? Equidem Hungarico ſub Coelo fuiſſe progenitum nemo dubitaverit, quum idem ipſe ortum ſuum OPPIDO STRIDONIS adſcribat, *quod* (inquit) *a Gothis everſum, Dalmatiae quondam, Pannoniaeque confinium fuit.* (b) Ubi vero STRIDO, ſi explicatius noſſe cupis? propius SABARIAM D. MARTINI Patriam, illius multo maxime glorioſi Turonenſium Praeſulis: B. vero QUIRINI, uti MARTYRIS, Locum certaminis; ita ANTISTITIS, *Epiſcopalem Sedem*. Denique SEVERI Imperatoris Natale SOLUM (c) Verum, ubi gentium SABARIA? In DIOECESI JAVARINENSI, inque COMITATU, ſive PROVINCIA CASTRI FERREI. Quae nam iſta PROVINCIA? certe omnium, quas nunc dierum obtinet HUNGARIA, fere florentior, ac maxime populoſa. Deinde, quis non admittat HUNGARICAS mentes naturae ſane, ac Caeli propitii munere, capacitatem aciemque ſortiri ſingularem, & vo-

(a) De bello Pan. & ex eo Inchofer. in apparatu ad annal. Eccl. Hung quos conſcripſit Romae an. 1641.

(b) De Script. Eccl. in fine.

(c) Inchoff. in Apparatu ad Annal. Eccleſ. Hungar.

luptate ferri maxima, pulcherrimis litteris innutiri? quando cunctis exploratum sit latinam linguam omnium praecipuam ac difficillimam, primula mox aetate inque studiorum incunabulis, ab iis capi, tenerique probissime? Dum contra, alii quidam Europaei Populi invita propemodum Minerva, ac potiorem aegre per vitam, illius usum familiarem comparaverint. Quales opportuno pro exemplo tui sint ADVERSARIE conterranei: a quibus tamen bonas, quin egregias etiam exulare LITTERAS qui dicat, ARAM VERITATIS apud te polluerit, injuriam tibi tuisque atrocissimam consciverit.

Sed quid multis? Res ista, quam hic interim pertractamus, per te ipsum in confesso est. HUNGAROS nimirum suapte natura celeri passim acutoque ingenio esse praeditos. Etenim tres illos Juvenes Hungaros, quorum in ea LAUDATIONE funebri mentionem injicis, asseveras ROMAM facto accessu, haud mediocriter profecisse. Atqui ipsi non vacuum profecto capitulum, sed Indolem, sed Mentem in URBEM attulerint praeclaram, necesse est. Trito quippe nobis aliisque proverbio *Non hic fiet Equus, qui venit huc Asinus*. Deinde, quid tibi videtur, qua ratione usque adeo profecerint? Utique PHILOSOPHIAM PERIPATETICAM Domi condidicerant: ad aliam porro hodiernorum MECHANICAM, privata potissimum

mum lectitatione pauciorum dierum lapsu continuata, tantundem ingenii, studiique attulere, ut intra URBEM gemini, tertius NEAPOLI, haud postrema existimatione ac felicitate eam praelegerint palam: tum & propugnarint. Quos quidem mihi propius, atque apprime cognitos, etsi suspiciam; tamen aliis, eisque plurimis, qui in PATRIA restitere coaequalibus, minime ausim anteponere. Sed nostra prosequamur.

Ac proinde, accepta solertibus a MAGISTRIS PHILOSOPHIA, JUVENTUS Hungara *Patriis* ut plurimum *Legibus* ediscendis sese adiicit, tum *Juri* quoq; *Civili*, & non raro *Canonico*. De illa heic Juventute speciatim sermonem tendimus, quae saecularem (ut vocant) vitam ductare constituit. Tres itaque TYRNAVIENSI in ACADEMIA (in illo profecto *Sapientiae Collegio*) alii demum AGRIAE copiosa Urbe, publico stipendio ordinati dudum sunt Viri, eruditione sanguineque nobiles; qui provinciam officiumque ea omnia tradendi, continuis diebus ex amussi adimplent. Plurimos postea JUDEX CURIAE REGIAE, PERSONALIS REGIAE PRAESENTIAE, DIRECTOR CAUSSARUM REGIARUM, horumque VICARII; VICARIUS item PALATINI, sive PROREGIS, quatuor REGNI PROTONOTARII. (omnes isti & praecipui Ordinis,& spectatissimae Nobilitatis, & celebratae Eruditionis) iis in rebus excolunt, atque perficiunt. Quippe, qui *Juri dicundo* ex munere

Hungara Juventus, post Philosophiam Juri civili, Patrio & Canonico sese addicit.

nere praesunt, ac Regni quoque *Constitutione*, Magistrorum plerique nomine, etiam a Principe compellantur. Alios deinde fere innumeros, Causidici, peritia clari, assidui frequentatione, (quos passim reperias) instituunt, exercent.

Ex quo, ad haec usque litteraturae confinia deducto Hungarae Juventutis cultu, tanta, tamque cumulata emolumenta proveniunt, ut frontem licet exuisse jure videar, si negem aliis in Regionibus Europaeis, censeri maximo numero Homines quarumvis Doctrinarum genere praesignes; (quibus detrahere aliquidpiam nullo pacto velim) tamen possim quasi in aurem tuam dicere, adventitios ipsos, convenasque haud pauculos esse: aut sane de Summatibus, Primoq; Indignarum Ordine fortassis rariores. At contra, affirmare audeam, (neque vero pudet) & Patritios, & Nobiles, & Optimates, & supremo, principeque loco natos Hungaros, communius usque, Litteratos audire. Hoc est: Patriarum saltem Legum, Juriumque domesticorum probe conscios, atque latinis politioribusque litteris, tantopere cultos, ut quantum avita illos Nobilitas collustret, tantum illi plerumque Nobilitati splendorem refundant. Certe *Magnates* nostros (ut inquimus) ac summos opibus, fumosisque Ceris Homines, nemo errore deceptus existimet, deliciis ex die in diem diffluere; Mulierum consuetudine elanguere; ignava, ille-

Hungari Nobiles, praecipuoq; loco nati, pleriq; omnes bene litterati.

illecebris delibuta, masculasque curas perosa conversatione annos extrahere; ludo, sonituque melico noctes comperendinare; convivari tantum, atque guttura proluere; aut quod superat temporis cum canibus, cornipedibus, quadrigisve prodigere; vel feris per saltus, & nemora insequendis, dare. Etsi enim, cum vacat, ac consentaneum judicant, in his quoque concedendum sibi, & moderatius indulgendum putent; tamen magno etiam pretio pacisci velim, si ternos ADVERSARIE conquiras, qui latinas minimum litteras ignorent. Immo plerique omnes, amant usque impallescere studio: gestiunt cum mortuis plusculum olei, aut cerae absumere: inter cupedias reponunt quasi helluari optimos codices: quo Patriae spei, praesidio, ornamento; quo Throno, quem fulciunt; quo AEquitati, Pietatique & Reicommunis, ac etiam domesticae augmento; quo praeclarissimis Natalibus ex aequo respondeant. Nihil enim tam dedecorosum, atque perniciosum esse potest unicuique Ditioni, Provinciae, Reipublicae; quam si Viri Principes, in quibus salus utique cunctorum nititur, qui columina audiunt basesque, immo oculi, ac lumina Status publici; ipsi nihilominus rupices ignari sint, aut vix scribere, legereque conscii LICINII, praemolles SARDANAPALI, cutem curantes LUCULLI: in quos videlicet nitidissimum illum sangui-
nis

nis pervetusti fulgorem tanquam in lutum defluxisse merito sit indolendum.

At (quo vehementer glorior) haud equidem ista deterrima, tetraque inscientiae labes mediocrem juxta atque summum HUNGARAE Nobilitatis sanguinem contaminat. Etenim, si divine prolatum est: *Tum fore beatissima Regna, quando aut Philosophi regnarent, aut Reges philosopharentur*; id utrumque luculentius conspicere licet hodie in HUNGARIA. Enim vero (id quod ad unum istorum attinet) tametsi non REGEM, sed REGINAM; non VIRUM, ipsa sexus potioris discretione ad magna natum; sed MULIEREM alioqui imbecillam, MARIAM quippe TERESIAM Archiducem Austriae, Principem nobis olim jusserimus haereditariam, ac summa rerum potiri decreverimus; atque nuper sacrato Diademate fauste redimiverimus; MULIEREM nihilominus ejusmodi, quae re ipsa VIRAGO sit. Hoc est: si exterius lectissimae Faeminae simulacrum demas, toto deinde pectore VIRUM referens. Scilicet, cum inusitata animi magnitudine *Philosophiae* praealtis cognitionibus, *Jurium*, *Legumque* singulari notitia, latinae tandem linguae tersa, fluidaque peritia ad Gentium admirationem praestans, & mire instructa: nullisque proinde saeculis non memoranda. Ipse ego propius aderam, stupuique multo maxime, cum in REGNI COMITIIS, quibus haud ita pridem

Laus hodie feliciter Regnantis REGINAE HUNGARORUM; ab Egregiis Litteris.

dem inaugurata fuit, PROCERIBUS HUNGARIS (quos latine tantum adloqui poterat) Romano eleganti ſermone, ſublimi, dextroque conſilio reſponſa daret: Negotia ſummi momenti pertractaret: tum (rebus ita ferentibus) etiam pro concione diceret, atque diceret adeo diſerte, nervoſe, valide, efficaciter, ut animos ad Arma ſine mora conclamanda inflammarit, ut miſerationis lacrymas prolicuerit: immo ſanguinem de membris, veniſque provocarit: quem ſcilicet (quemadmodum unicuique plus ſatis compertum eſt) diuturno iſto cruentiſſimo, & incredibili bello, ad illius tutelam dignitatis, ultro profundimus.

Tum vero (quod ſpectat ad alterum) poſt philoſophantem REGINAM, PROCERES quoque, qui ejus auſpicio nutuque Regni perampli habenas verſant, egregie philoſophantur. Enim vero ex ipſis eiſdem, Maximi Magiſtratus, Tribunalium, Judiciorumque operoſi, & conſultiſſimi Ordines componuntur; ubi videlicet univerſa latinis conſultationibus confici, & ex Juris Formulis diſceptari ac deliberari, & uſitatiſſimum eſt, & quodammodo neceſſarium. Neque vero cauſſas graviſſimas, in quibus Patriae ſumma vertitur; non item lites maxime arduas, in quibus integrorum Patrimoniorum Fortunarumque periculum, ſubverſio communis tranquillitatis, oppreſſio Pu-

Primores, & praecipui quique HUNGARI, in Tribunalibus ſummiſque Judiciis ipſi per ſe Cauſſas omnes latine pertractant.

m pil-

pillorum, Viduarumque, & ope destitutorum subversatur; non denique Justitiae libram facili astu nunc rerum declinantem, advenis, peregrinoque SOLO immeantibus, & aequitatem persaepe turpi lucro posthabentibus, venalem faciunt. Profecto ipsi, & OPTIMATES, & Optimi PATRES PATRIAE: & spectatissimi, & quolibet (ne quid usquam inique fiat) spectantes: Fulcra veritatis: Praesidia Justitiae: perfugia clientium. Magni maximis initiis ortuque; majores quaesitis, partisque scitissimis animi decoribus. Quibus non amentur modo litterae, verum nihil tam fuerit pretiosum, atque illae: nihil tam intimum, atque proprium, quemadmodum studiorum consuetudo: nihil tantundem familiare, quantum litterati.

Primates HVNGARI compendio recensiti, Eruditione praestantes.

Quae singula primo propemodum intuitu coalita observabis in JOSEPHO *Curiae Regiae Judice*, nuper CROATIAE PROREGE; FRANCISCO, hodie PROREGE *Croatiae*, *& intimo Regio*, *ac locumtenentiali Consiliario*; JOANNE *sacrae Coronae Custode*, & ejusdem Ordinis *Consiliario*, magnis ESTORADUM *Comitibus*: Praecellentissimo *Comite* GEORGIO ERDÖDIO item *Custode*, ac pariter *Consiliario*; necnon supremo Regni *Quaestore*, & universi aerarii Regii *Praefecto*; LUDOVICO BATTYANIO Comite, & Regni CANCELLARIO; THOMA *Comite* BERINIO *Septemvirali*; LEOPOLDO

NA-

NADASDIO, PAULO BALASSIO, ILESHAZIO, KEGLEVICIO, PATATICIO, *Comitibus*, *& Consiliariis*: *Barone* GRASSALKOVICIO *Tabulae Regiae Judiciariae* ornatissimo PRAESIDE, & intimo Consiliario: Tum CAROLO PITERFIO, JOSEPHO GHILLANIO, ANTONIO PALUSKIO, ADAMO ZICCHIO, MARTINO SZELECZKIO, *Baronibus*; & in *Excelso Septemvirali* omnium supremo Magistratu, Assessoribus. His adjunge innumeros, qui in *Consilio praecipuo Locumtenentiali*, sive oeconomico; qui in *Cancellaria*, atque *Camera Regia*; qui in *Tabula Regia judiciaria*: tum qui Septemvirum in Magistratu, in quo omnis sistit appellatio; tum, qui in quatuor *Tabulis Districtualibus* longa serie censentur. Inde *Fiscos* adiice Regios; quatuor Regni *Protonotarios*; totidem *Commissarios Provinciales* suo cum Capite; Vicarios Proregis ac Curiae Regalis Judicis: Florem Gentis omneis, omneis litteratos.

Quid vero? an de Militiae Praefectis, Ducibus, Centurionibus, Antesignanis, iniquius sentiendum? Quorum permultos esse plane scio, quibus perinde sit aciem ordinare ac depugnare fortissime, atque pro Tribunali sedere, vel quibusvis de Rebus cum Eruditis non infime conferre ac pertractare. Vellem equidem ADVESARIE, ut caeteros inter, cum FRANCISCO *Comite* DE CAROLIS, BARONE GHILLANIO, BARANAJO, VETESIO, FESTETICIO, PEST- *Militiae Praefecti HUNGARI non magis generosi, quam docti.*

VARMEGIO, Equeſtrium Legionum Generalibus Praefectis; qui fere jam profligatis (tot coronatorum Principum ab omni parte arma ſtringentium) Copiis, Signa invictiſſimae REGINAE ultro in dies, cum commilitonibus proferunt; vellem inquam, ut his cum verſarere propius atque ageres; tumvero & obſervares profecto & mirarere oppido, Heroas nihilo magis, quam Sapientes. Qui videlicet ſimul atque enſem fulmineum hoſtili cruore deterſo vaginae reddunt, ſub Papilione quoque Codices repoſcere conſueverunt: haud uſquam ab libris, quantumlibet cariſſimis ab liberis, peramataque conjuge ſeparati. Qui hiſtoriam per ſeriem temporum concorditer texere; recitare ad rem quamvis praeſentem, Carmen aut ſententiam; noctem CURTIUM inter LIVIUMQUE dividere, perbelle noverunt. Qui Philoſophiae, Juriſprudentiae, tandem & Theologiae, neque paucis, neque obviis cognitionibus Artem militarem (ab his natura ipſa alienam) induſtria copulaverunt. Nihil demum affero de quinquaginta & amplius *Comitatuum*, ſive Provinciarum totius Regionis, Praeſidibus, Adminiſtris, Judicibus, Quaeſtoribus, Notariiſque publicis; Nihil de Urbium Praetoribus, Syndicis, Conſularibus; nihil de Advocatorum Claſſibus, atque turmis; nihil denique de ingenti Nobilium multitudine: qui certe

te plerique omnes latinis minimum Litteris, Legumque Patriarum notitia, tantundem profecere, ut non indignam factu, sed neque tuae Eruditioni poenitendam rem esses commissurus ILLUSTRIS ADVERSARIAE, si ad miscendum usquam cum iis sermonem te ex alto demittere dignarere. Quam felicitatem DII HOSPITALES, POPULARIBUS meis (pervelim) concedant!

Verum in aliis commemorandis liberalis, JOANNEM COMITEM PALFFIUM insuper habere, atq; prorsus negligere, neque volo, sed nec etiam possum, ob insignem Viri incomparabilis claritudinem. Magnificentissima ille apud nos profectus origine, jamque tertius quartusve de Gente sua Regni amplissimi PROREX, Achilles Patriae, ac nemini certe aevo suo, uni tantum EUGENIO SABAUDO, immortali Duci secundus, Annum pridem *Jubilaeum* in Campo Martio sub pluvio algidoque Jove, pro nostri omnium tutamine exegit. Interque immanium Thracum horribiles conflictus, inter hiantia vulnera, vicinasque mortes sociorum, inter gladios jugulo imminentes, inter machinarum boatus, plumbeasque grandines, incorrupta fide, magnanimitate constanti, ausu intrepido, semper illaesus, semper Victor, stipendia, immo trophaea emeruit. An ergo iste, qui vix ex Ephebis egressus (*cum vixdum tenero lanugo increverat ore*)

Encomium JOANNIS PALFFII HUNGARIAE nunc PROREGIS.

ore) militiae Inſtitutum ſuſcepit, vitamque (capularem uſque in ſenectam) ſub Galea Thoraceque produxit; An inquam iſte praeter Militarem Diſciplinam, qua TURCARUM TERRORIS nomen eſt adeptus, nullis praeterea latinis litteris polleat? Hic VIR hic eſt, qui poſt POMPEII, poſt EPIMANONDAE Officium, ſempiterna cum laude completum, nunc in dierum articulo, octoginta utpote annos numerans, CATONEM agit, ac LYCURGUM. Idemque HEROS, ſuper SAGO (cum quo conſenuit,) una & TOGAM ſumpſit: atq; dum hodie quoq; conſilio imperioque procul extento, tot tantaſque Victrices HUNGARORUM Acies rite ordinat, Domi ſimul pacificus PROREX AEquiſſimis Legibus ampliſſimae Ditioni moderatur. Nec non ſupremo in Conſilio Regio *Locumtenentiali*, (cui cum poteſtate praeeſt) adducit in medium rationum momenta, cenſetque, ac Sententiam Decretaque rogat, & edicit. Ubi tamen latine tractari, conficique univerſa, idque ad LEGUM latinis litteris conſignatarum PRAESCRIPTUM, perveteri ac domeſtico Regionis uſu receptum eſt.

Sed inſurgis, aiſque ADVERSARIE: quorſum iſta adeo ſupervacanea tot encomiorum minus pertinentium, Mortaliumque ad intentum non facientium, quaedam acervatio? Non enimvero affirmatum fuit, immo vix quaeſitum quidem, qui

qui & quot homines utcumque eruditi in Hungaria degerent: At contra: *nullas illic doceri litteras; aut pravam, & inutilem earum colendarum, tradendarumque suscipi rationem*. Istud vero Exteris tam persuasum est, quam quod maxime. Ita sane persuasum est; (dico ego) persuasum est ejusdem tecum farinae dicacibus, qui Friuliae aut Istriae aut Tyrolis citerioris finibus haud palmum egressi, tamen cum prurit, cum in salivam venit, etiam de *Antipodarum* aut *Arimasporum* Ritibus moribusve, ceu *Phoebades e Tripode*, oracula fundunt. Contra vero sic ego te brevibus constringo: Tanta (ut licentius efferam) Litteratorum Castra in HUNGARIA computamus, sin minus quibusvis, latinis saltem, probisque, ac necessariis litteris; sin minus supreme, atque praecipue, mediocri saltem praestantia instructorum; qui profecto DOMI didicere universi: Iniquius proinde, ac omnino temere abs te prolatum fuisse nimis iterum, atque aperte consequitur, *nullas nobis esse Litteras, aut pravam, & inutilem earum tradendarum, colendarumque teneri rationem*. At cum *Libertatis proprium sit, vivere ut velis*, (a) tu detorquebas eo certe praeclaram sententiam, ut ejusdem *Libertatis proprium quoq; esset, scribere, ac profunde re quaelibet, ut velis; atque ut in mentem, aut libidinem veniunt*. (b) Quare *nihil jam vereor, ne illa*

Ex multitudine Eruditorum in HUNGARIA, nequiter dicitur pravas, aut nullas illic esse Litteras.

[a] Cic. Offic. 15.

[b] Cic. de Invent. 79.

illa tua (Joannis HARRACHII) *praedicatio arrogans potius, quam non grata videatur.* (a)

[a] Cic. de Ar. 247.

Videtur Adversarius Theologicas in primis Litteras opprobrare HUNGARIS.

Reliquum est, ut de Litterarum vertice, SACRA videlicet THEOLOGIA nonnihil afferamus. Nunc autem ego aliquando assequor illius Te potissimum studium sugillare, nobisque HUNGARIS (tanquam prave, & inutiliter impensum) opprobrare. Id quod conjectura palmari teneo ex alia tua nihilo modestiore Crisi, qua Germanicas Litteras, Magnique BENEDICTI perfrequentes in GERMANIA Monachos adrodis, ac nominatim florentissimam ACADEMIAM SALISBURGENSEM. Ita enim luctificam Dictionem prosequeris, qua inhumane conviciaris aliis, dum vis urbanus haberi in collaudando JOANNE ERNESTO HARRACHIO, nuper vita simul & Episcopatu NITRIENSI decedente: *Jam diu erat cum iniquissimo animo ferebat, quod . . . . iidem in Germania siqui Theologiae darent operam, in solis vocabulorum captionibus, & quaestiunculis plane supervacaneis sine sua, sine aliorum prope ulla utilitate occuparentur. Quibus rationibus adductus quatuor ex Germania adolescentes Monachos, ingenio eximios Romam arcessere constituerat, qui à Doctioribus Magistris solidissimam Doctrinam haurirent, donec universam Studiorum optimamque rationem adepti essent . . . spes erat injecta illi plane explorata, hoc pacto fore, ut optima Studiorum ratio primum in Salisbur-*

Convicium Salisburgēsi, celebratae Academiae, totiq; illustri Germaniae ab Adversario irrogatū.

burgensem Academiam, in qua ab iisdem Monachis Disciplinae traduntur; deinde non solum in Nitriensem Ecclesiam, sed paulatim in totam etiam Germaniam propagaretur. Haec tu.

At, cum mei non sit Instituti *Vindicatio Germanicarum Litterarum*, abstineo manum, & spartam istam alii ornandam relinquo. Surrecturum enim propediem aliquem nullus ambigo, Patrii honoris stimulis concitatum, cujus tute feru la egregie vapules. Ecquid autem (ipse pensita) Ecquid imprudentius, atque collecto Oratore minus dignum esse unquam poterat, (ut tamen nihil non dicam) tota quam contentione niti ad praedicandum JOANNEM ERNESTUM HARRACHIUM, at nihilominus ejus LAUDIBUS maximopere detrahere? Videsis quippe, quantum illum ab excellenti Doctrina commendes? Atvero, quid quid propemodum illud spectatae Doctrinae in praestantissimo Viro fuit, ACADEMIAE SALISBURGENSI, aut GERMANIAE Praeceptoribus debebatur: ubi nimirum ipse Litterarum Alumnus adolevit, atque maturatus est. Quod si quocirca *ob Magistrorum inopiam nulla illic studia, vel prorsus inania*; sique *in Germania in solis vocularum captionibus, & quaestionibus plane supervacaneis Juvenes occupantur*; fateri te necesse est, nullam, aut futilem aliquam Doctrinam (quid enim ex lutulento fonte, nisi turbidam, faeceque

Adversarius gratificando graviter offendit.

n pol-

pollutam aquam bibere poterat?) fateri inquam te necesse est futilem aliquam rancidamque Doctrinam in HARRACHIO abs te dilaudato fuisse. O judicium perturbatum! judicium, nigrum albo confundens! O linguam Oratoris, laude & vituperio, commendatione & insectatione, praeconio & convicio, circa unum idemque titubantem

Deinde, quis? praeterquam sibi haud satis constans judicet, in laudis alicujus censum accedere posse Viro cuiquam honorato, Remque illi gratam fieri, si videlicet in NATIONEM ejus, si in PATRIAM, si in COGNATIONEM foede invadas? si ista omnia nigrore famae obscures? immo contamines? Non erat autem HARRACHIUS Germanica Gente editus? Non GERMANIA, Tellus illi domestica? Nequaquam in GERMANIA universum Genus ejus innumeris Familiis sanguinis nexu illigatum? Tu ergo, (cum haec ita sint) tu recte? tu sapienter? tu apposite inter LAUDES illius te adjecisse putes, *in Germania ob Magistrorum inopiam nulla esse Studia, vel prorsus inania*? O pugnum ad oculum!

Vituperium rectius dicatur, cum ita laudatur quisquam, ut simul Patria Natioque illius proscindatur.

Velim postea, quas tibi agat gratias, qualiter factum tuum adprobet Vir amplissimus, & inter URBIS Eruditiores haud mediocris omnino subsellii, Joannes Baptista THUNNIUS, qui Ernesto HARRACHIO in Munere ORATORIS pro serenissima HUN-

GA-

GARIAE Regina plane successit? Enimvero suam ipse singularem peritiam in Re praesertim *Civili*, *Canonica*, *Historica*, *Theologica*, SALISBURGENSI (ut plurimum) ACADEMIAE jure acceptā refert. Adde: quod Cognatus istius, ejus Ditionis, Urbisque Princeps & Archiepiscopus audiat: Non iccirco Joanni Baptistae THUNNIO, Tibi alioquin Benevolo, & Homini certe praecipuo atq; praenobili; neq; Cognato suo, Romani Imp. Dynastae, nisi indignissime gratificatus es, cum asseverabas, ***nulla Salisburgi (inopia Magistrorum) haberi Studia, vel prorsus inania; inque solis vocabulorum captionibus, & quaestionibus plane supervacaneis, sine ulla prope utilitate Juventutem occupari***. Nam id profecto abs te liberius, quam ingenuo homine dignum sit profusum, & peculiari JOANNIS BAPTISTAE ab optimis Litteris aestimationi plurimum officit, & Cognato illius, insigni Principi atque Praesuli, contumeliam irrogat non ferendam. Quasi nimirum ipse carissimi Nepotis praeclaris Disciplinis formandi, curam sane gessisset nullam, ac summam per oscitantiam *inania prorsus Studia*, ludicra, levissima, cum Nugivendis Magistris, SALISBURGI toleraret. Sentis ADVERSARIE quorsum prolapsus es denuo? ut te perdideris? ut coarctaris? ut? ut iterum ne rimula suppetat, qua te asseras? qua elabaris?

Infelix Orator, qui illorum se palat dicendo captare benevolentiā, quos actu injectetur.

n 2 Ac-

Certe Germani egregia Litterarum monumenta in lucem emisere jam olim, ac hodie quoq; istud factitant.

Accipe tamen etiamdum & illud, quo premare cumulatius. Cunctis nimirum vel *Leguleiis*, ac ipsis Altiorum Disciplinarum Tironibus esse notissimum, in materia praesertim *Civili*, atq; *Canonica*, nec non etiam *Theologica*, *expletos suis numeris* Codices in lucem edi a GERMANIS, & speciatim SALISBURGENSIBUS: qui DOCTIORUM ROMANORUM manus persaepe impleant, judicium exsatient, usui sint frequentissimo. Veluti *Engel* est, tum *Van-Espen*, *Smolczgrueber*, *Raifenstuel*, *Khees*, *Frassen*, *Pichler*, *Graffius*, *Redingus*, *Meczgerus*, & alii benemulti. Quid quod ergo tumultuario proferebas *inopia Magistrorum nulla haberi apud illos Studia*, *vel prorsus inania*? Verum inquies, non te conviciandi, non laedendi caussa, at medendi animo talia dixisse. At, *non est ea medicina, cum sanae parti corporis, scalpellum adhibetur: carnificina est ista, & crudelitas*. (a)

(a) Cicer. pro Pub. Sex.

Sedenim longius provectus sum (quamvis minuscula obiter attingens) in Sociorum acceptae injuriae gratiam. Quocirca, missa ego ulteriore Vindicatione Litterarum GERMANIAE (*quem sibi illa nec defensorem sui juris, nec ultorem injuriarum, nec actorem totius causae adoptavit*) (b) telam meam texere persequor, & quam Coelo derivatis in Theologiae cognitionibus, mentibus Juvenum infundendis indendisque rationem ob-

(b) Cic. in Ver.

fervent HUNGARI, palam facio. Quis ea propter, quantufve Praeceptor fit THOMAS AQUINAS, immortale atque incomparabile ITALIAE lumen, *pleni funt omnes libri, confertiffimae praedicant Sapientum voces, proclamant repetita oracula.* In hunc veluti Confluentem, quaternarius ille principum Ecclefiae Doctorum fons pando fefe oftio infudit. *Teftis eft ingens librorum numerus, quos ille breviffimo temporis compendio in omni fere Difciplinarum genere, fingulari ordine, ac mira perfpicuitate fine ullo prorfus errore confcripfit* (a) ACHILLES ipfe eft MILITANTIS ECCLESIAE, *& fortis armatus, cuftodiens Atrium adverfus portas Inferi nunquam praevalituras*. Atque adeo *fplendidiffimus Fidei Catholicae Athleta; cujus fcriptorum clypeo Militans Ecclefia Haereticorum tela feliciter elidit* (b) Unde non immerito Bucerus fatidico percrepuit ore: *Tolle* THOMAM, *& diffipabo* ECCLESIAM. Ac certe, *vix quifquam enarrare poteft, quot Vir fanctiffimus, atque eruditiffimus Theologorum Praeconiis celebretur; quantumque illius illibatae Doctrinae ab Sanctis Patribus in Sacrofancto Oecumenico Concilio Tridentino fuerit acclamatum*. (c) Concludamus *nuce Iliadem*: ANGELICI ipfe, ac prodigiofi DOCTORUM SOLIS nomine, & Elogio quaquaverfum percrebuit: *totidem namque miraculis fulfit, quot Articulos fcripfit; omnes quippe refolvit lumine plufquam humano*. (d) Hujus quocirca talis, tantique

Praedicatio DOCTORIS ANGELICI, SOLIS Theologorum.

(a) Clem. VIII.

(b) Paulus V.

(c) Baronius.

(d) Jo. XXII.

tique Magistri, solida, clara, brevi, & ordinatissima methodo, sacram THEOLOGIAM Studiosis nostratibus praelegimus, ac cum eis communicamus. Atque sin minus fortasse omnes, quoad omnia; si non uniformiter, si non *ad litteram*, illius sententiam recipiamus universi, juremusque in verba; interpretamur saltem quanta valemus maxima modestia: ac religioni sane ducimus, VIRO DIVINO aperte refragari. Utpote, quem *bene de se scripsisse*, AETERNA SAPIENTIA ORACULO prodidit; *Quem praeterea qui tenuit, nunquam invenitur, a recto tramite deviasse; Qui contra impugnavit, semper*
(a) Innoc. VI. *fuit de veritate suspectus* (a) Itaque in eo, quod ad penetranda pro modulo imbecillitatis humanae *Fidei Mysteria* spectat; quod ad *Sacramenta* recte intelligenda, & rite ministranda refertur; quod ad Conscientiam a deviis malorum revocandam, & per callem Virtutis inoffenso pede conducendam; quodve ad Legem *Naturalem*, *Positivam*, *Humanamque* pertinet: In eo denique, quod ad retundendos, infringendos, expugnandosque Hæereticos ad manum sit, & in primis valeat; in his inquam omnibus Juvenes nostri, alibi triennio, alibi quadriennio, auspicio ductuque talis, ac tanti Magistri, operose fundantur, valide communiuntur.

Quamquam (porro) non inficier, Nostratium aliquos, qui Cathedras occupant, quaestiones saepi-

saepicule interjungere, abstractas illas, inque nuda, & macra contemplatione sistentes, quas videlicet ignorasse, magis forsitan referat atque expediat, quam didicisse; non ob id tamen ADVERSARIE in toto ipsi condemnari possunt. Enimvero sin minus aliud (quod probes) operentur; ingenii profecto aciem ceu cote quadam exacuunt, & elimant: vimque mentis expediunt, altumque adlevant. Alterum quoque fructum procreant haud quidem cum apinis, aut cassa cum nuce conferendum. Quippe, si DOGMATICAM illam, sive *Sanctorum Patrum*, (ut ais) *Scientiam* praecise quis, atque unice pertractet (quae potissimum in Conciliorum Decretis, Sanctorumque Patrum congerenda astipulatione distinetur) neque vero abdita ac penetrabili speculatione, & *abstractione* sublimi, sese nonnunquam in Res divinas, ac alias juxta positas, plurimumque impervias, quodammodo insinuet, & curiosius implicet quantum fas sit; atque adeo ea quoque rimetur Paradoxa, quae scrutari, penitusque vertere, non videatur esse operae pretium permultis hodie; quomodo quaeso de altissima *Praedestinatione*? de *possibilitate Transubstantiationis*? *de transfusione labis originalis* in animam, seorsum a corpore creatam, cum CALVINI Asseclis dimicabit? quomodo ab illius, aut LUTHERI circa humanam libertatem errore, Doctrinam Catholicam *Prae-*

SCOLASTICAE THEOLOGIAE utilitas haud modica; sine qua per nudam Dogmaticam non satis videtur fore consultum, hodie necessariae ac requisitae Doctrinae in Ecclesia Dei.

deter-

determinationem afferentium; aut *Auxilia verfatilia* propugnantium, ab *Semipelagianorum* commentis fecernet? Quomodo fecretiffimam JANSENII de Gratia Chrifti *relative efficaci* hallucinationem? quomodo intricatas, ac bicolores, vafreque veritatem mentitas Quefnelli *centum & unam* Propofitiones vel fatis intelliget? quomodo cervicofos AUGUSTINI prave intellecti Vindices confutabit? defoffos cuniculos valide fubruet? retexet tendiculas captionum? Vallo, munimentifque ad fpeciem fatis inftructis exturbabit?

AUGUSTINUS ipfe, infignis Theologus Scholafticus.

Tumvero, AUGUSTINUS ipfe, qui jure FAMILIAM ducit, qui POLEMARCHUS eft Theologorum adverfus Fidei perduelles arte depugnantium; unde quaefo non fumeum & inane, fed magnificentiffimum *Aquilae Theologorum* nomen fortitus fuit? nifi quia fubtilitate acutiffima, intima ac demerfa contemplatione, altiffima *abftractione*, diftinctione penitiore minutiorum quarumvis conceptionum; nifi quia fummo ingenio res facras pertractavit? iftoque Marte infuperabili contra *Manichaeos*, *Pelagianos*, *Fauftum*, *Jovinianum*, *Crefconium*, & alios Veritatis tum hoftes acerrimos, cum etiam callidiffimos fycophantas, per omnem vitam decertavit? arcaniffimas quafque technas vigilantiffima fpeculatione exploravit? antevertit? praeftruxitque,

xitque, ac procul odoratus elisit? Et cedo, an vicisset ita gloriose, ita magnifice, quemadmodum semper & ubique vicit, si DOGMATICAE duntaxat, PATRUMQUE SCIENTAIE armatura fuisset communitus?

Ego vero proferam, quod celabam diu; atque non vane profecto, neque aniliter metuebam: si qui sint (sunt autem diebus jam istis bene multi) si qui inquam sint, qui SPECULATIVAE, sive SCHOLASTICAE THEOLOGIAE studium tamquam rem nugacem ac nimis profanam fastidiose aversantur, immo de SCHOLIS CATHOLICAE RELIGIONIS procul eliminandam, proturbandamque esse, autumant; atque adeo supra modum religiose nudam SANCTORUM PATRUM DOGMATUMque SCIENTIAM, unice vigere, ac frequentari volunt; illos (praeterquamquod ingenium hebescere malint, situque obsolescere) illos inquam, praesentissimis Armis & validis quibusdam suppetiis ECCLESIAM DEI privatum ire: proindeque in summe utili, atque opportuno negotio, pessime, cumque dispendio non unius assis consulere. Cujusmodi (si superis placet) profundissimis THEOLOGIS, si quid ultra *Constituta* Conciliorum, aut Veterum Patrum suffragationem, adducat, subsumat, intorqueat, ratiocinando inferat, eosque pressius adstringat veteratorius quisquam Haereticus, ridebunt, quia nesciis quomodo refellant, seseque rite extricent atque expediant, *aqua baerebit*: ridebunt, quia

Expedit omnino, uniri, ac quodammodo permisceri Scholasticam Theologiam Dogmaticae, jam olim a Patribus probatam.

quod non assequentur, deriso fastu inane putabunt. *Admiscendum* itaque est *utile dulci*; SPECULATIVA videlicet sive SCOLASTICA THEOLOGIAE DOGMATICAE. Ista potior sit, illa non absit, sed individua cohaereat, sed ancilletur, sed subserviat. Tametsi enim nonnullis delicatioribus, ac feriando, sive leviter ad palmam eniti cupidis, tormentum ipsa ingenii vocitetur; tamen multo maxime valet; estque Via regia ad inveniendam, Clavis quaedam universalis, ad intimis e penetralibus depromendam, eruendamque Veritatem. Praeterea, hujus inimicos, colubro magis tortiles, fugaces, & elabi perstudiosos, mire astringit, pressat, figit, concludit. Quibus de caussis judicio MAGNI BASILII *instar muri est ipsa sacris Dogmatibus*; *quod illa non facile sinat diripi, & quorumlibet incursioni patere* (a) *Quamvis enim* (dicente Joanne Damasceno) *variis argumentorum Captionibus Veritas non egeat, iis tamen utimur adversus eos, qui improbum bellum cient* (b) Tumvero AUGUSTINUS recte sane pernegat *Cresconio*, reiiciendum esse usum Dialecticae ab Sacra Doctrina, ob id, quod ea nonnulli abusi; *nam alioqui nec Miles pro Patria armandus foret, quia contra Patriam nonnulli arma sumpserunt: neque boni doctique Medici ferramentis medicinalibus uti deberent ad salutem, quia his ad perniciem indocti, pessimique abutuntur.* (c) Denique Auctoritas Fa-

(a) Citatus apud Tournel. Disp. praevia.

(b) Tom. 1. p. 8. e.

(c) Tom. 9. p. 390.

Facultatis Parisiensis maximi semper habita, cum inter alias Lutheri propositiones legeret: *Theologia Scholastica exulem nobis fecit veram & sinceram Theologiam*; sequentem censuram inussit: *Haec Propositio est falsa, temeraria ac superbe asserta, & sanae Doctrinae inimica.* (a)

[a] Refert Tournel. loc. cit. a. 3.

Neque tamen eo ista pertinere (velim) ADVERSARIE colligas, quasi vero quicquam excusationis pro HUNGARIS praetexere voluisse videri debeam solito disertius *Scholasticam Theologiam* commendando; quoniam HUNGARI, non minus ac alii TRANSALPINI, in hanc potissimum nervis omnibus incumberent, & tricosis, inque horas vociferatione contentissima productis disputationibus saepe de lana propemodum caprina, non secus, atque de Aris Focisque disceptare solerent; contra vero lacertosam illam, illam firmissimam, ac necessariam, *Sacrorum Dogmatum Patrumque* (Ecclesiae luminum) *Scientiam*, ægre de nomine cognoscerent: Non velim inquam ita nequiter verbis abutare meis. Praeterquamquod enim de aliis quoque TRANSALPINIS, praesertim GERMANIS, atque BELGIS, istud falso adstruas; persuasum habeto apud HUNGAROS, jamdiu, ac certe semper in more fuisse positum, quod speculationibus SCOLASTICAE THEOLOGIAE, praecipua diligentia, nervoseque & copiose pertractatas admiscuerint ejusmodi quoque quæstiones, de quibus SECTARII Septemtriona-

HUNGARI Theologiae Praeceptores, Dogmaticae Theologiae momenta operose pertractant.

les controverſantur: quæve in IV. Conciliis Generalibus, & noviſſime in SCROSANCTA SYNODO TRIDENTINA ſancita, ac declarata fuere. An quippe Arma Religionem avitam defenſandi inprimis idonea, projecta vecordia ſumere negligamus? immo abjiciamus de manu? qui aſſiduo inter hoſtes (domeſticos videlicet SANCTAE FIDEI Rebelles) conſiſtimus? atque non tam habitamus, quam caſtra metamur per omnem uſque vitam? An *Fidei ſcuta, gladios ſpiritus, galeas ſalutis* corripere, adhibere, tractare, ſtringereq;, & continenter gerere, haud curemus? qui caedem inter, inter aſſultus & impreſſiones, & perpetuo, & pone, & ſecus, & ante, ſumus poſiti? Magnum crimen tuum ADVESARIE! Magna & intolerabilis noſtra injuria! ſi videlicet neque jam honeſtate nos duci, neque ſalutis cura tangi, neque excitari praeſentiſſimis periculis cogites: atque adeo praeter Hominis rude Simulacrum, nil Hominis demum obtinere. Sed heus! ampliſsime DOCTOR DOGMATICE, an putes minime a nobis tritum unquam, aut volutatum fuiſſe, ſed ne inſpectum quidem *Bellarminum? Petavium? Natalem? Tomaſinum? Huetium? Habertum? Juveninum?* a quibus hodierni Theologi Dogmatici omnia fere mutuantur? Agedum ADVERSARIE, ſume tibi otium, deme horulam decumanis tuis in LITTERIS inſtaurandis occupationibus: Eja conferamus duo nos, quibus

bus de rebus *Bellarminus*? an mutilatus usquam, vel interpolatus? a quo refutatus? Quo demum ordine, qua digestione *Natalis Alexander*? Quid; & qua de caussa *Scholia* illius? ecquid nam ipse de *Auctoritate Papae supra Concilium*? quid de caeteris? An porro *Petavius* pristinam suam sententiam *de Praedestinatione gratuita*, *Futurorum cognitione*, *Gratiae efficacia*, unquam immutarit, *ne vetulus vasa colligere cogeretur*? Quae postea Novatio *Tomasini*, aut *Tournelii* ad conciliandam Divinae Gratiae vim humana cum libertate? Quid tandem *Haberto* visum, an *re ipsa opus esse meritorium possit, quod neque incipiat ex Charitate*? Quid *Huetius* denique cum multiplici *Mosis* Metamorphosi? Age age, his de momentis, his de Magistris in Dogmatica Theologia principibus, disseramus duo Nos: atque proculdubio ex me uno conjicies inter GENTILES meos admodum mediocri, te linguam petulantius exertasse, quando GERMANOS cum HUNGARIS confundens effutiebas: *Si qui Theologiae daremus operam in solis vocularum captionibus, & quaestionibus plane supervacaneis sine propria, sine aliorum prope ulla utilitate nos occupari*.

Verum enim, cur ego jam & THEOLOGIAE laurea te digner? qui (nisi ludor) ultra *Rhethoricorum Libros*, *ac Justiniani Institutiones*, (Gaditanas fortasse tuae Virtuti columnas) vix quicquam

Adversarius carpit Theologiae

Studium in HUNGARIA, vix aliquis ipse Theologus:

quam processisti ? Nisi vero insuper, compingendis cum RECENTIORUM Moleculis, *rotundis* illis, *planis*, *cubicis*, *uncinatis*, *hamatis*, *sagittatis*, (verbo) multiformibus, lusitare aliquantulum nuper didiceris ? Quia nihilominus verae, ac robustae THEOLOGIAE, nedum peritiam; sed jam & instaurandae, ad Nosque propagandae sollicitudinem tibi vendicasse palam profitearis; atque adeo non obscure indices te *talos a vertice ad imos* Eruditione plenum esse omnigena; dic (te perurgeo) quid propinquiore vicinia cum THEOLOGIA DOGMATICA junctum, eique penitius insinuatum, quam *Supremum Judicem controversiarum*, Pontificem Romanum esse omnino? *Christi propterea vices obeuntem, Caputque visibile Universalis Ecclesiae, ac legitimum* PETRI *Successorem*? *In Eucharistia* porro *adesse reipsa praesentem, deque pane, vinoque permutatis factum* (modo, quem Catholici confitemur) *Mundi Servatorem*? Deum O. M. *voluntate nedum illa signi*; sed utique *altera quoque Beneplaciti, universos Mortaleis voluisse salvos*? *Filium ejus Unigenam pro cunctis equidem lethum oppetiisse*? *de condigno praeterea pro delictis omnium, tum retroactis, cum futuris, atque ad rigorem talionis satisfecisse*? attamen his non obstantibus *Poenitentiam requiri nostram*? *nostra requiri opera meritoria ad salutem*? Quid plus? *Fidem & amitti posse perfidia, & solam,*

Complura ex ceteris Dogmata, quae HUNGARI Theologi solerter, ac studiose in SCHOLIS pertractant.

lam, atque orbam, Justitiam sanctificantem haud conferre? Septem dehinc *esse vere, ac proprie Sacramenta? Non concludi sub Praecepto Coenae Dominicae (pro singulis Generis) sumptionem utriusque speciei? Dari Sacerdotium in nova lege Christi; offerrique genuinum Sacrificium? Caelibatum & geri posse, & laudandum, suadendumque esse; neque temere quibusdam vitae Christianae Statibus injunctum? Purgatorium* demum *existere? Noxiarum Confessionem jure divino statui? libertatem nedum a coactione, verum & a necessitate, inesse unicuique?* Et alia quamplurima? Quid vero tibi videtur ADVERSARIE, an haec & istis paria, Theologis HUNGARIAE peregrina? an de hujusmodi pertractemus nihil? nihil productis usque vigiliis elucubremur? nihil ex eis ad Audientes praelegamus? Ego autem arbitror, (nisi mea me fallat opinio) etiam studiosius, impensius, copiosius; aut profecto nihilo segnius, & ignavius iis, quos tu subaudis. Quid enim? latrandum nobis quotidie in lupos undelibet exululantes, atque iis de rebus identidem cum his tricandum; sin minus ergo alio quopiam probiore impulsu, certe honestatis (cujus gustum Belluis tantum natura subtraxit) Honestatis saltem (dicebam) incitamentis adducimur, provocamur, extimulamur, ad indefesse elaborandum illarum vim quaestionum, naturam, caussasque nosse; ut ne sci-

ſcilicet uſpiam *herbam porrigere* INIMICIS videamur, haud citra piaculum & offendiculum, ac dedecus ſempiternum.

Adverte autem, quam proterve, quam pervicaciter ipſi factitent, ut tela noſtra, ſi non elidant, eludant tamen quatenus poſſunt. Enimvero, ſi memorata Dogmata, quia nimirum auctoritate Sacroſancti CONCILII TRIDENTINI definita ſint, tenenda eſſe, atq; indubitate profitenda inculcemus; reponunt ſolito more, atque praefracte: PARTEIS ab eo haud ſatis fuiſſe admiſſas, auditaſve; proindeque non uſquequaque cenſeri debere uti *legitimum*, *univerſale*, *inque Domino congregatum*: atque adeo *errare potuiſſe*, *& erravisse nimis*. Si demum iis de Rebus *Traditione* conſtare perhibeamus; illam pro veteri (in qua occalluerunt) pertinacia inſolentius rejiciunt. Si Patrum conſenſionem, adſtipulationemque proferamus; quicquam pro humana conditione eis obrepere potuiſſe contendunt: quum e *Verbo Dei* haud liquido pateret perpetua illos *Divini Spiritus adſiſtentia* fuiſſe nixos: quoniam in comperto eſſet priſtina quoſdam retractaviſse. Atque inſuper, nonnullorum in Scriptis *Antilogiae* quoque notarentur. Si tandem *Divinarum Scripturarum* Teſtimoniis agamus, pacata illa candidaque hodiernae DOGMATICAE Methodo; in iis varie, ſiniſtreque detorquendis ſuo profecto ſen-

Pervicacia Haereticorũ in HUNGARIA, qua ſe expediunt ab Argumẽtis Dogmaticis.

ſenſu abundant, decemque pro uno verba reddunt.

Nunc ego Adversarie, (cui Theologia ſuſdeque noſtra eſt), nunc ego jam percunctor ex te, quid hic ageres? quo te verteres? ne (Jupiter!) Vates probus ac verax ſim ego, ſi tu re infecta ex arena non diſceſseris. Nos autem, quo perfrictae audaciae blaterones, & vix ullis malleis cedentia duratorum pectora, ſin minus edomemus, revocemuſque ad frugem; demus in ruborem ſaltem, ac fauces dicaciſſimas cohibeamus repagulo, aut uſque obturemus; Nos inquam ambidextri (detur verbo venia) Scholasticam Theologiam commodum in ſuppetias arceſſimus, aciem ratione, arteque ordinamus. Itaque *maximas & praemiſſas* ejuſmodi, queis ne ipſi quidem refragari conſverunt, primo loco collocamus: inde conſecutiones ducimus eis apprime ac luculenter affines, & cohærentes *ad amuſſim* ex Lege Dialecticae, atq; adeo *in modo & figura*. Ad has porro aſſenſum cautiſſimis probationibus extundimus pedetentim, eaq; continenter vigili gradatione procedimus, donec *a primo ad ultimum* evidenti ſerie quaeſitam Veritatem eruamus tum demum, ac demonſtremus. Quo fit, ut praeſtructa veluti via, redire, & conſtrictis effugere, haud vacet amplius: ſeque omnino circumventos, ac deprehenſos eſſe, pla-

METHODUS perutilis Scholaſtica Theologorũ Hungarorũ, qua conſtringere ſolent volubiles Haereticos.

ne videant. Atque ſi etiamdum reſtitent victas dare manus, ſaltem nil ultra ſuccurrit, quod objectent enervati, praeter ſtrepitantem protervíam, aut invictiſſimum ſilentium. Sed fidem tu iſtis nequaquam adhibes? at vero probares etiam, ac ſuſpiceres uſum THEOLOGIAE NOSTRAE, illorum autem effrontem nequitiam, verſutiamque admirarere, ſi coram aſpectares. Ego autem *quae vidi*, *quae audivi*, atque etiam exercui, *non potui*, *non loqui*, proque indemnitate PATRIAE non adducere. Quippe cum & mihi, ex caeteris qualicumque, hujuſmodi operoſo in ſtudio *erant vigilandae noctes*, *fuligo lucubrationum bibenda*, *inque ſudata veſte durandum*. (a) Praeſertim, dum haud ita pridem Scriptitatione primum, tum evulgato quoque Opere, adverſus Perfidiae Triarium, *De exiſtentia Purgatorii*, auſpicio Numinis feliciter dimicavi.

(a) Quint. L. 11. c. 3.

Hujuſmodi ergo (ut me tandem expediam) hujuſmodi ſane inſtitutum HUNGARIS eſt, & THEOLOGIAM profitendi, & inde ab infimis ad ſumma per litterarum ambitum JUVENTUTEM educendi. Supremum itaq;te ADVERSARIE compello: etiam denique cenſeas, *ſiqui nimirum apud Nos Theologiae darent operam*, *in ſolis vocularum captionibus*, *& quaeſtionibus plane ſupervacaneis*, *ſine ſua*, *ſine aliorum prope ulla utilitate*, *occupari*? adhuc adhuc *nullae in Regionibus noſtris Litterae*? aut iſta,

Concluditur injuria dictũ eſſe, Quaeſtiones ſupervacaneas tradi in Theologia apud HUNGAROS.

ista, quam ab exordio usq; ad praesens explicabam, *prava est, & inutilis earum tradendarum, colendarumque ratio?* Cerne jam aliquando, jam senti, jam palpa homo licentior, quam toto Coelo deerraveris! quantum injuriae percelebri ac praecellenti Regno consciveris! quantum propterea objurgari meruisti, etsi a me longe moderatius verberere atq; par fuit, & ultio culpae admensa, petiverit.

Sed pro! tetrioris, tum & atrocioris fuerit convicii, Cento ille, quem (post indigesta quae semel, ac iterum retulimus verba) hunc in modum consarcinabas. *Ex qua litterarum inscitia, incredibile est quantum detrimenti Res Ecclesiastica capiat, quam enormes Christiani officii perversiones, quam multi, & perniciosi errores in Evangelicam Doctrinam irrepere possint.* Num ergo ex inscitia HUNGARORUM incredibile ECCLESIA detrimentum accipit? inde inde enormes apud nos Christiani officii perversiones? inde multi, ac perniciosi errores? At fervorem moderor meum, nequid inconsiderans in te committam. Gemina itaque Verborum illorum significatio observari potest: Vel quod, ubicumq; optimarum litterarum penuria sit & quaedam vastitas, aut depravatio, ibi mores quoq; constet continuo effraenatos fieri, putereq; corruptissimos; ibi Religionem multis nefandis pollui ritibus, esseque calamitosissimam; ibi sacra, profanaque om-

Expostulatur de novo immani Cõvicio cum Adversario.

omnia foede perverti. Propter quod MITYLENAEI (auctor est *AElianus*) eos, quos bello perdomuerant, extreme miseros ac perditos redderituri, Litterarum studiis prohibebant. Qua etiam de caussa conscceleratus JULIANUS IMPERATOR, ut FIDEM scilicet CHRISTIANAM, a qua defecerat, celerius, atque funestius iret perditum, illam profitentibus immanium suppliciorum minitatione Litteras interdixit. Vel alias, verba illa tua intelligi queunt, quod videlicet re ipsa hodie in HUNGARIA ex Litterarum inscitia ea ipsa *detrimenta Res Ecclesiastica capiat*, & caetera infanda, quae congeris. Quia nimirum (veluti pertendis) *nullae ibi forent litterae*; *aut prava, & inutilis earum tradendarum, colendarumque ratio*. Primum itaque optime dicitur. Alterum si asseris (quo te collineasse ex eis, quae antecedunt, & consequuntur, pronum est suspicari) istud vero nequiter procudis & affingis, ac denuo reum te facis palmaris contumeliae. Jam enim abunde monstratum probatumque est, sin minus praecellentissimam, prorsusque eximiam, dubio procul egregiam, ac laudabilem litteras exercendi, instillandique rationem florere in HUNGARIA. Proindeque minime inveteravisse, invaluisse, ac radicatam esse perniciosam inscitiam, de qua totidem illa impia, ac maxime damnosa germina propullulent.

Nisi

Nisi vero huc, illucve titubans, aut stramen captans naufragus, illud supremum arripias, quod, etsi confiterere non usque ignobiles Litteras in HUNGARIAE quibusdam Gymnasiis tractari; PRESBYTEROS nihilominus, & EPISCOPOS, tenues admodum esse Litterarum, ac Doctrinae pauperrimos; cujus rei caussa tanta se mala in ECCLESIAM DEI conferte infunderent. Atque hanc tuam fuisse praemeditatam suspicionem haud magna ego divinatione egeo, ut assequar, si tua omnia, prima cum extremis, media cum utrisque contulerim. Ut igitur, & hac te ultima (reor) munitione dejiciam, vel (accomodatius pro re nata dicturus) ut & hic linguam tibi compescam, tantummodo perstringam, & ut possum, contractius referam, qui, qualesve nunc temporis in HUNGARIA sint EPISCOPI, atque PRESBYTERI; quam proinde ingentia RES ECCLESIASTICA referat commoda, & incrementa, quia scilicet *in iis Ingenium, ratio, memoria, litteratura, cogitatio, diligentia*. (a)

Adducũtur plures Episcopi HUNGARIAE, Genere juxta atque Doctrina illustres.

(a) Cic. 2. Phil. c. 45.

Primo quocirca loco memorandum se praebet EMERICUS S. R. Imp. Princeps de GENTE ESZTORADUM, *Regni Primas, & Archiepiscopus Strigoniensis*. Quemadmodum autem Genere, atque ornatissimo Munere PRINCEPS iste, PRIMASQUE audit; ita omnigena Eruditione non minor est. Ac nemini certe nostratium dubium fue-

PRAEDICATIO Archiepiscopi Strigonien. hodierni, simul & Primatis HUNGARIAE.

fuerit, non tam merito ſanguinis, quod plerumque fit; quam praeſignis DOCTRINAE, PRUDENTIAEque fama, primum quidem EPISCOPUM VACIENSEM, tum ZAGRABINUM, inde VESPRIMIENSEM, & REGNI ſimul CANCELLARIUM; Primatem tandem, & ARCHIEPISCOPUM METROPOLITANUM fuiſſe renunciatum. Quid enim? PHILOSOPHIÆ, certe, ac THEOLOGIAE LAUREAM; tum, in SCIENTIA quoque SACRORUM CANONUM DOCTORIS Inſignia, florentiſsima adhuc aetate jure conſequutus, harum poſtea ſingulas, diu, atque ordine, ſummaque facundiae & ingenii laude pertractabat, perdocebat. Nunc etiam depontano grandior, annoque octogeſimo proximus, plurimum conſilio valet, plurimum adaucta inde auctoritate poteſt, atque etiam efficit in arcano REGALIS MINISTERII conſeſſu, inque ſupremo Regio (quem *Locumtenentialem* vocant) SENATU. Ad haec: ſe (tamquam PRIMATEM) appellantium cauſſas, ut creberrimas, ita etiam intricatiſsimas, ipſe cognoſcit, diſcutit, atque definit: Delectis *Conſiſtorii Aſſeſſoribus* ſaepe ſtupentibus, inopinatum (pro incredibili illius ſapientia & perſpicacitate) litis eventum. Accedit, (id quod ipſe licet ſim expertus, ſed percipere haud ſatis poteram) Virum progenie anniſque maximum, totque ampliſſimis officiis diſtentiſsimum, ac propemodum irrequietum, affecta praeſertim potiori tempore

re

re valetudine, adeo perſpicue, adeo argute, ſubtiliter, ac nervoſe de praecipuis THEOLOGIAE *Theorematis* diſſerere, ac mecum ipſo pro praeſtabili ſua comitate, ſemel iterumque diſſeruiſſe, ut eo ipſo, quo iſta gerebantur tempore, e Cathedra ad Audientes praelegere, mihi profecto ſit viſus. Atque ſi aſſentandi, ſi blandiendi, vel gratificandi gratia hunc palpum obtrudo, frons mihi depereat. Ex qua demum rara, miraque ſapientia redundat ſolida illa ac virilis religio, pietaſque, & zelus ardentiſsimus cumulandi acceſsiones, atque augmenta ECCLESIAE FIDEIque. Liberalitas praeterea magnificentiſsima, profuſa ſubventio, ac miſeratio quotidiana adverſus egenos, & calamitoſos.

Hic idem, hic ipſe murum ſeſe aheneum oppoſuit praepotenti, ac prope votorum potitae Haereticorum machinationi, ne devenerandum SANCTISSIMAE DEI GENITRICIS Nomen e veteri PATRII JURISJURANDI Formula (quam & ipſi promere adſtringuntur) extereretur & aboleretur. Ille GERMANNUM quemdam, *Pſeudoepiſcopum* LUTHERANORUM, & impoſtorem conſceleratum, regia proinde auctoritate in Ergaſtulum perpetuum compactum, apud ſuos alioqui multo maxime eruditum, eo tandem crebris nunciis, & adminiſtris adduxit, ut appetente Dierum articulo ſerio reſipiſcens, errorem

ſit

ſit execratus, deteſtatus crimina. Ille BASILICAM Veſprimienſem, olim ab Regina GHISELA, Divi STEPHANI Conjuge regio ſumptu conſtructam, at Barbarorum feritate humi fere jacentem, non minore ſplendore inſtauravit. Ille grandibus impendiis Sacrarium Beato JOANNI ELEEMOSYNARIO in Urbe PISONIA; Templum DIVAE ELISABETHAE ibidem; Aram itidem inuſitati decoris DIVO MARTINO, INDIGETIBUS noſtris poſuit: Paucis multa complectar: Ille tricenis plura certe Fana, ſuam per vaſtiſsimam Dioeceſim SUPERUM cultibus qua excitavit ab imo, qua reparavit, auxit, ornavit, dotavit. Praetereo peramplae molis, ac magnificentiae Palatium apud Pomoeria dictae Urbis, SUCCESSORUM commoditati, & erectum, & illuſtratum: praetereo conſtructum intra Urbem *Sanctimonialibus*; & in Civitate propinqua SANCTI GEORGII, CLERICIS REG. SCHOLARUM PIARUM alterum, nobile utrumque Domicilium: Praetereo ſexcentas alias ſumme pias erogationes; benevolentiam denique ſingularem cum inſigni munificentia conjunctam in litteratos: Quibus domus illius, & diverſorium, & Hoſpitium, & Triclinium, & Lyceum ſemper viſa eſt.

Huic ſuppar dignitate, ſed neque virtute, doctrina, calentiſſimoque Gloriam Numinis propagandi fervore diſſimilis, GABRIEL DOMINICUS, e Co-

e Comitibus Pataticiis, Archiepiscopus Colocensis, unus praeterea, isque potior de Regni Septemviris. Qui humanioribus Domi Studiis, ac Philosophiae Placitis impensius excultus, Romae postea, Sacrorum Canonum, ac Theologiae praelectiones notabili fructu, atque applausu audiverat. Tantumque profecit pro illa mentis perspicacitate, quam in Urbem attulerat, ut hodie quoque publicis litterariis in concertationibus argumentari solemni methodo nedum non dedignetur, verum praestet quoque istud quam navissime. Nuncium proinde litteris (confecto curriculo) haud remisisse, sed perpetuo illas consortio sibi copulavisse, palam profitetur. Quo earum peculiari ex amore, ac etiam pro Muneris sui ratione, Seminarium Alumnorum Clericalis Ordinis exaedificavit sua in Metropoli: constitutis, & Juventuti sustentandae annuis Reditibus; & munerandis etiam, nedum alendis Magistris, decoro Minervali. Ipse interea pulcherrimum sibi crebrius otium sumit facere periculum tum horum industriae, cum eorum diligentiae: idque disceptando, sciscitando, opponendo, & quatenus fieri expedit, explorando. Ad hæc: tantum abest, ut refugiat, ut etiam oblectetur pro Concione rudium quorumvis verba facere, *catechizare* imperitum popellum, aetatemque impuberem; qui antea Carolum VI.

PRAEDICATIO hodierni ARCHIEPISCOPI COLOCENSIS.

Imperatorem Romanorum, HUNGARORUMque Regem, dicendi praestantia ad se audiendum illexerat. Tum vero, dictante quam altius imbibit sapientia, *pecuniam, esse effectricem multarum, & magnarum voluptatum*; (a) Voluptate autem, praeter illas corporis, enervari animi quoque vires; & sanctissima consilia, susceptaque optima proposita, quodammodo in herba praefocari, ut *reapse nulla capitalior sit pestis, quam voluptas*; (b) *Obventiones* omneis ac *praestationes* sibi debitas in cultum piissimi Numinis, in decus, & incrementum ECCLESIAE, potissimum impendit. Homo caeteroquin aetatis flore, Amicitiis, Clientelis, & Cognatione nobilissima praepollens. Iccirco, opere ac magnitudine celebratum AUGUSTAE COELI REGINAE Fanum, (quod in Urbe COLOCENSI a DIVIS olim REGIBUS positum, Thracum vastatione demum conciderat) pristinae formae, splendorique ex toto pene restituit. Canonicorum simul numerum adauxit, ac *Praebitiones* eis faciendas deputavit. Paroecias quoque plures *jure Postliminii* reposuit, Animarum Curatores solerti delectu praefecit.

[a] Cic. de finib. lib. 2. c. 7.

[b] Cic. de Cl. orat. c. 50.

PRAEDICATIO hodierni EPISCOPI AGRIENSIS.

Venio ad GABRIELEM COMITEM ERDÖDIUM, Virum PRINCIPI REGNANTI intimis a Consiliis, inque Excelso Senatu Regio Oeconomico (quem *Locumtenentialem* dictitant) unum de primis subselliis; AGRIENSEM denique) quod ad rem

nostram

nostram facit) Episcopum. Litteras istae in Patria coepit, continuavit; atque hac postmodum in URBE consummavit. Deus bone! quid in illo ad excultissimae Eruditionis famam desit? quid in caeteris immo sit, quod fere in eo non sit? Hunc ego VIRUM abs te ADVERSARIE spectari (si quid unquam maxime) optarem. Tumvero, praeter splendorem Generis Orbe nostro haud ulli secundum; praeter opes, amplissimamque Dignitatem (quae non parva sunt adminicula, ut virtus cujuspiam illustrius elucescat) mirarere facundiam, elimatum judicium mirarere. mirarere agendi promptitudinem insigni gravitate, & veneranda vultus majestate sociatam. mirarere ardorem illum flagrantissimum, quo praegrandis oneris Provinciae, qualis est EPISCOPATUS maximus AGRIENSIS, partes omneis plane adimplet. Hunc profecto reipsa insomnem esse; aut, cum etiam dormit, advigilare putem: quum nihil eorum elabi sinat, quae ad SANCTAE FIDEI propagationem, ORDINIS ECCLESIASTICI profectum ornamentumque, lucra animarum, Pietatisque subsidia conferant, aut quoquomodo pertineant. Civitatem quocirca suam RELIGIOSORUM COETIBUS unus prope ipse complevit: qui moribus, qui Doctrina, qui inculpatae vitae exemplis, qui optimis habitatoribus illam percomerent, adaugerent, stabilirent. SEMINARIUM in

Clerum cooptatorum Juvenum, qui Philoso-phiae, ac Theologiae darent operam; Alterum item Nobilium Adolescentum, qui *Juri Pontificio, Civili, ac Municipali* vacarent; qua impendio, qua solicitudine sua, illud quidem ampliavit, perfecit, ordinavit; istud autem diebus nuperis magnifice promovit, disposuit, instruxit. Episcopales deinde facultates, ac reditus vindicavit, atque plus satis cumulavit. AEDEM CATHEDRALEM pretiose convestivit; Palatium peramplum, & alias substructiones, hortos, villasque memorabiles, ad honestam animi relaxationem, & commoditatem, SUCCESSURIS adparavit. Praecipuos nobilitate Viros, Doctrinaq; & Virtute, ac meritis, rerumque gerendarum peritia fultos delegit, suorumque Collegio Canonicorum intulit, adscripsit. Latissime porrectae Dioeceseos numeroso in Clero (severior nonnunquam, cum res exigeret) solertem vigilantiam, ac probissimos mores, laudataeque conversationis nitorem ingeneravit. Et pape! quam ille ardenter investiget, sicubi, sicunde, siquando afferendae lucrum animae nancisci valeat. Atque sane, lucrifacit persaepe nobiliores quoque Natalibus Animas, sed Haereseos labe sordidatas. Quas ubi repurgavit pravorum Dogmatum sordibus, non minore demum amore complectitur, quam qui vitae eis usuram impertivere. Iis cum con-

vesci-

vescitur, in paucis caras habet, inter Familiares adsciscit, ad sortem, fortunamque commodiorem provehit, muneribus impertitur; plaerasque tandem & sustentat: quasi ad eum de cunctis, jam & alendis pertineret, quos spiritu filios susceperat. Desino plura, ne quae plurima superant pro tenuitate mea minus digne, atque parcius.

PRAEDICATIO hodierni EPISCOPI VACIENSIS.

Quid jam afferam de CAROLO MICHAELE COMITE ALTHANNIO, Episcopo Vaciensi? qui amplissimo illi, atque integerrimo Patruo, MICHAELI FRIDERICO S. R. E. Cardinali, paucis ab hinc annis rite suffectus fuit, cum Archiepiscopatu Bariensi, ipsaq; Apulia, justis de caussis decessisset. Habet nimirum universorum etiamdum oculis obversantia, immortalis COGNATI, ac DECESSORIS religiosissima facinora; habet acria, assiduaque incitamenta ad paria praestandum, ad eum consectandum. Quanta enim ille Doctrina eluxerit; quam irreprehensibilem, immo hac in malum curva deflexaque (ut dicam) tempestate, quam rigidam, ac prodigii plenam vitam ipse duxerit; quomodo totos pene dies lectioni, precationi, languentium, aut animam agentium visitationi impenderit; quam inexpugnabile vallum pro tutandis atque constabiliendis ECCLESIAE JURIBUS, proque firmanda SACROSANCTA RELIGIONE contra omnem Potentiam, etiam contempto honoris manifesto discrimine sese opposuerit, justa ego

(quam

(quam in Funere pronunciavi, inque Vulgus ſparſi) Oratione ſum exequutus, & adhuc recentiſſima, ſeroſque ad Nepotes manatura memoria paſſim enarrat. Tantis quocirca veſtigiis perquam ſedulo inſiſtens CAROLUS NEPOS, primum quidem Doctrinam illam, ac perfectam cognitionem Rerum Eccleſiaſticarum (qua optimus Patruus & ipſe illum imbuebat, & imbui diligentiſſime fecerat) ſtudio, exercitatione, cumque Viris egregie litteratis non tam familiaritate, quam convictu, atque quodam contubernio, impigre cumulat, inque dies reddit pleniorem. Inde vero, luminibus, facibuſque veritatum voluntati ſemper praeſentibus, colluſtratur, atque inardeſcit ad exactiſſimam illam rationem continenter tenendam, qua Epiſcopale officium quemadmodum ſublime, ita longe omnium graviſsimum, ad hoc uſque tempus gerebat. Deum immortalem! quid ipſe non egerit, cum nuper funeſtiſsima Contagio quaquaverſum, ac proinde VACIENSI quoque in Civitate graſſaretur? Haud equidem, florentis amore vitae incitatus, ſummorumque propediem Honorum (ſi modo viveret) ſpe indubia; haud ſane communi ſeſe calamitate eripuit, quod impune poterat: Verum animam pro ovibus ponere nihil addubitans, inter cariſsimum, jamque late tabeſcentem Gregem reſtitit; ope deinde, vigilantia, conſilio, impendio, providentia, pro-

properantes de corporibus animas revocabat: praecavitq; solicitissime, nequi inedia magis, quam fato interciderent. De Medicis corporum, juxta atq; spirituum sua in Urbe, ac Dioecesi, quantum per subitam stragem licuit, mature prospexit. Rimas illabenti undique, & qualibet contagio, obturare ante omnia insudavit. At quia actum fere agebat, meliore usurus remedio supplicationes ad placandum Numen, ad reducendum extentam atque caedentem diro flagello manum, creberrime indixit, ac peregit. Cohortationes ad *Poenitentiam*, ad nuncupanda suscipiendaque religiosissima vota, ad animos seriis propositis commutandae in melius vitae obfirmandos, ad fidentiam in misericordi Numine (dum etiam castigat) amante collocandam; hujusmodi inquam cohortationes per vicos foraque, incitatis fieri declamationibus, sudate procuravit.

Pestilentia subinde restincta, votum, quod ipse apud animum conceperat, uberi gratitudine pensavit; & pro AEdicula mediocri, ingens, ac ac patentissimum Delubrum magnae construxit CHRISTI AVIAE apud Clericos Regulares PIARUM SCHOLARUM. Postquam autem supremam huic manum imposuerit, quod proxime futurum est; quisque intelligit, quid commeditetur, quid pectore verset, statuatque animo, ad

Stu-

Studia SEMINARII multo amplius provehenda, ad Gymnasium publicum, jam quidem perhonestum ac frequens, plenioribus Litteris complendum.

PRAEDICATIO hodierni Episcopi JAVARINENSIS.

Transeo ad Episcopum Javarinensem ADOLPHUM DE SANCTO GEORGIO, ex modo dictis SCHOLARUM PIARUM Clericis (quibus supremo ante jure sex annos praefuit) ad ECCLESIAE istius gubernacula adsumptum. An vero Eruditionem Viri incomparabilis incredibili summorum Hominum existimatione celebratam? an pervigilem curam impositum humeris onus ferendi? an dotes animi vix ulli mortalium concessas, vel digne commemorem? Qui communem adhuc inter suos vitam degens, CAROLO VI. gloriosae memoriae Romanorum Imperatori, arcanis a Consiliis fuit. Qui linguas Europaeas fere universas, privata industria condidicit. qui *Graecam* praeterea novit; & in primis *Hebraicam*, *Syriacam*, *Chaldaicam*, callosa contentione tantopere est consequutus, ut jam admodum juvenis, justum adversus perfidos de adventu MESSIAE Volumen, & elegantia, & subtilitate in adeo difficili sermone multo maxime suspicienda, eximium, atque argumentatione (de penetralibus abditissimis Sacrorum monumentorum) eruta, praevalidum, in lucem emiserit, atque beatae memoriae CLEMENTI Summo Sacerdoti, ejus Nominis

minis XI. dicarit. Qui THEOLOGIAM DOGMATICAM (in qua parem illi haud facile exquiras) in SEMINARIUM lectissimi Cleri sui adeo ordinate invexit, ut Normam omnino dederit, quam caeteri transumant. Edi etiam fecerit Volumina ab se foecundata, ac limata; in quibus ea, quae Viro Ecclesiastico scitu in primis necessaria perviderat, perspicua brevitate, firmisque fundamentis comprehenduntur. Qui praeterea *Sacris Adventus* ac *Jejunii Verni* temporibus, ad frequentissimam Haeresi quoque infectorum Concionem, e penitioribus *Divinarum Scripturarum* fontibus verba fundens, exhortatur omnes argutissime *in sana Doctrina*, atq; haud *levibus* profecto *in verbis*; *& eos qui contradicunt*, firmamentis insuperabilibus *redarguit*. Quo sane conficit, ut errore durati caecatique, etsi non statim resipiscant, tamen mollescant plusculum, dicentemque mire suspiciant, ac venerentur. Qui demum, promiscui sexus teneram aetatem, in Aula Palatii, FIDEI Elementis ipse non raro instituit, bene respondentes nummulis, aut munusculis demulcet ac provocat, iisque paterne blanditur, ac Nutricis instar Cibum Salutaris Doctrinae praemasticat. Qui in ACADEMIAM suam JAVARINENSEM praeclarissimam PHILOSOPHIAE, ac praesertim THEOLOGIAE Studiorum rationem introduxit: qua videlicet praeter caeteras PHILO-

SOPHIAE Parteis, ETHICA ſolertius traderetur: tum THEOLOGIA SCHOLASTICA, quantum neceſſe ſit; inde DOGMATICA quam pleniſſime: Poſtea MORALIS enucleata; deinde *Sacrorum Canonum, Rituumque* notitia; modus dicendi ad Fidelem, & Infidelem Populum; Formulae catechiſandi; & reliqua hujus Inſtituti, perquiſita facilitate cum iiſdem conſtanter Diſcipulis communicarentur. Quem in finem, quatuor ipſe Cathedras Moderatorum, deſtinato liberali ſtipendio in perpetuum erexit: quarum primariam (qualiſcumque ſim) ſolido triennio, quamdiu nimirum per valetudinem licuit, ego tenebam. Hic Vir, hic ergo is eſt, de quo paucula ego generatim perſtrinxi; ſed inſigni *Epiphonemate* multa complexus fuit ſcientiſſimus PASSIONEUS, PRINCEPS hodie PURPURATUS, cum in facie digniſſimorum graviſſimorumque Hominum, libere atque ſerio aſſeverabat ſemel & iterum: *Eum vere doctum, ac proprie Epiſcopum eſſe*.

PRAEDICATIO hodierni Epiſc. QUINQUEECCLESIARUM.

Quis demum (ſecundum hunc) qualiſve, SIGISMUNDUS, COMES BERINIUS, *Quinqueeccleſiarum* Praeſul? Iſte, ob Doctrinæ praeſtantiam, cultiſſimos & illibatos mores, ac etiam Generis Claritudinem, in Strigonienſium Canonicorum ſpectatiſſimum Collegium adlectus, CHRISTIANO AUGUSTO, *Saxoniae Duci*, & Archiepiſcopo ſuo, ac Regni PRIMATI, Canonicus *a latere*, in-

inq; Tractatibus Imperii RATISBONAE tum habitis, intimis a ſecretis diu aderat. Illo demortuo, apud EMERICUM ESTORADEM, (Magnum hodie ARCHIEPISCOPUM, ac pariter *Primatem*) plureis per annos delegatus Cauſsarum *Primatialium* Cognitor, in partem oneris habiles ac peridoneos humeros ſufficiebat. Cujus doctiſſimi Mortalium aſſidua conſuetudine perfruens, ex eruditis illius ACTIS, atque COLLATIONIBUS, plurima in uſum ſuum reponebat, dum interea Regio quoque OECONOMICO IN SENATU Collega aſſideret. Tanta autem mirificis dotibus ſuis, collectaq; ac perfacili ad quidvis magnifice gerendum dexteritate, affabili comitate, ac probatiſſmae vitae nitore; tantam ſane omnium Hominum, ſummorum juxta atque mediocrium, de ſe exiſtimationem conciliavit, ut unum idemque ſingulorum judicium eſset, quod palam percrebuerat: *tam illum Epiſcopatu, quam ſerto Virginem, dignum eſſe*. Itaque, poſt ereptum e vivis memorabilem Cardinalem CIMPHOEGUM, QUINQUEECCLESIARUM (Urbs eſt HUNGARIAE iſtius Nominis) perhonorificam DIVINI MUNERIS SEDEM verendus tandem PONTIFEX pleno jure inſedit. Quae tum Bonorum omnium gratulatio? Quae ſpes, atque expectatio? Quanta exultatio, ac hilaritas CLERI POPULIQUE? cum in coeleſti quo-

 dam

dam vultu ſuaviſſimi Praeſulis, diſtincte legerent, quam pium, quam continentem, quam modeſtum, quam irreprehenſibilem, quam ſapientem, quam magna atque praeclara, quae facturus omnino eſset, nutu ipſo promittentem, quam genuinum PATREM, ac PASTOREM Animarum ſuarum, deq; Coelo (verius) miſsum, a DEO OPT. MAX. eſsent conſequuti.

PRAEDICATIO hodierni Episcopi MAGNI VARADINI.

Adjungamus huic NICOLAUM COMITEM CSAKIUM *Magni Varadini* Antiſtitem, Uterinum dudum extincti EMERICI CSAKII S. R. E. Cardinalis, & Archiepiſcopi COLOCENSIS. Quis vero, quantuſve fuerit EMERICUS CSAKIUS, ſive Progenie facile omnium in Hungaria prima, ac certe vetuſtiſſima; ſive omnigena eruditione, ſive dicendi copia ſingulari, ſive Prudentia experientiſſima, ſive conſummata judicii gravitate, ſive altiſſimo Conſilio, ſive linguarum *Gallicae*, *Italicae*, *Teutonicae*, *Patriae*, *Ilyricae*, ac in primis Latinae, peritia; ſive ſummorum Principum, ac Dynaſtarum notitia & conſuetudine; quantus inquam his, atque aliis ornamentis extiterit immortalis Vir EMERICUS CSAKIUS? AVITA TELLUS proculdubio nullis non temporibus recinet: atque reminiſcitur etiamdum *Germania*, compluresque Exterae Provinciae: Novit praeterea ROMA, communis quaedam Nationum omnium, ac Gentium quarumvis

vis PATRIA. Sufficerit ad praecipuam Hominis excellentiſſimi commemorationem, cum videlicet hae olim in URBE, ſpectantibus PURPURATIS PATRIBUS, *Theologicas* ille *Propoſitiones* admodum juvenis inſigniter, atq; inſolita ingenii felicitate propugnaſset, a graviſſimis iſtis principibuſque VIRIS dictum ei fuiſse: *Vidimus* TE ROMAE THEOLOGUM, *videbimus propediem* CARDINALEM, COLLEGAMque *noſtrum*. Vaticinium fuiſse, probavit Eventus. Nam ipſe deinde ſemel atque iterum ROMAE viſus fuit utiq; CARDINALIS. Immo, cum poſtea, ANNO ſcilicet SALUTIS DCCXXI. ſupra cIɔ. praeficiendo *Univerſali Eccleſiae* CAPITI, PURPURATI Suffragatores conſilia, operamq; admoviſsent, tametſi deinde Card. MICHAELEM ANGELUM *de Comitibus*, Divina Providentia PONTIFICEM juſserint; tamen complures in EMERICUM noſtrum oculos, cogitationem, vota deniq; intendiſse. Hic ergo officii, fortunae, animique, induſtriaeque praeſidiis eminentiſſimus, NICOLAUM MAGNI hodie VARADINI Epiſcopum, tunc juvenculum, pro eo, quo in cariſſimum ſanguinem flagrabat amore, tantopere expolivit (uti credere par eſt) ut ſeipſum quodammodo in ceream iſtius indolem imprimeret, ac vivam in eo ſui ipſius relinqueret imaginem. Ac certe, oſtendit hic ipſe hodie, qualem nimirum ille formaverit. Siquidem nihil antiquius ducit, nihil ab ſe pluris

ris fieri luculentis significationibus prodit, quam iis cum, notitiam, & consuetudinem sibi intercedere, qui Virtutis laude, atque existimatione probitatis sint conspicui: aut qui in aliquo optimarum Artium genere caeteris antecellant. Hos omneis sic amplectitur, sic expansa benevolentia prosequitur, ut cum nulla hominum sorte libentius vivere, nulli faciliorem ad se aditum concedere, ad nullum majore voluptate divertere velle, palam indicet, ac testetur. Inde profectum est, quod cum annis ego nuperis Theologiam JAVARINI profiterer, ipse autem eam ad URBEM forte accederet, ad me quoque minime quidem id meritum, eo ex itinere inviserit, atque de augendo in sua Diœcesi Litterarum cultu, diu, ac suavissime fuerit colloquutus. Illico vero, ac impositam provinciam adorsus fuit, obsurdescentem audaciam SCHISMATICORUM *Episcoporum* intra fines protensae suae Dioecesеos solito plus arrogantium, infringere; eos proinde accessu quorundam locorum, publica auctoritate interdici elaboravit. Immunitatem Ecclesiasticam, quam nonnihil labefactari adverterat, in integrum reponi enixius egit, effecitque. Simul autem juniorem Clerum suum, pleniore SANCTORUM PATRUM THEOLOGIA, SANCTIONUMQUE APOSTOLICARUM cognitione, per exquisitos, annuoque censu egregie provisos Modera-

deratores edoceri constituit. Ad quantam porro gloriam Christianas ille Litteras provehere firma apud se voluntate defixerit, quam magnificum eis Domicilium ponere, & stabilire decreverit in vasta DEBRECINA Civitate,(Haereseos Calvinianae illic diu admodum, impuneque resupinatae, foedissimo cubili, atque quodam AUGIAE stabulo) tametsi perpaucis, queis secretiora animi proposita credidit, novere, me tamen haud equidem praeterit, ac latet.

Praetermissio brevicula caeterorum Episcoporũ HUNGARIAE, & aliorum Praepositorum Ecclesiae.

Longum sedenim foret, ire per omnes HUNGARIAE Episcopos, atque quantum docti, quantum industrii, quam bene morati sint, singulos per ordinem, quamlibet breviter, atque perpaucis describere, ac percensere. Tum & VICARIOS GENERALES (uti vocare mos est) quibus plerisque sacros vertices Tyara coronat; Item ARCHIDIACONOS, qui amplissimarum DIOECESIUM singulis quique Districtibus cum potestate praesunt, eosque pro ratione muneris crebrius perlustrant. Qui profecto universi, tum delecti sunt, cum, & reipsa cunctis vitae, famaeque, doctrinaeque, ac etiam Natalium minime obscurorum honestamentis, plurimum praestant, ac praecellunt. Atque ii (nam de Presbyteris alibi) spero meam in dicendo parcitatem aequi bonique consulent; Quod videlicet nihil speciatim de iis, etsi meritissimis, expromam. Quod equidem quasi constrictus facio; tum, ut

ne

ne plus nimio prolixus AEQUO LECTORI videar; cum vero, quod malle norim Viros ornatissimos, esse, quam apparere: magna facere, quam magni fieri, quam praedicari. Quod equidem proprium fuerit GENTILIBUS meis, qui licet iis fere omnibus animi ornamentis (quibus aliae Nationes) exsplendescant; tamen intra PATRIAE sinum occulunt; neque sua ambitiosius circumferunt: non ultra Maria, Alpeisque cursant, ut famam suam venditent, ut rumorem spargant. Quo fit, ut Hominum uti absentium, ita quorundam ad credendum justo amplius facilium, & ea, quae sub sensum cadunt, (ut plurimum) pensantium judicio, Litterarum expertes, quid sit humane vivere ignari, indociles, ac Barbaris similiores habeantur. Quum tamen interdum ad rem venit, quum interest uspiam, tum hercule! palam faciunt, perhibent, ostendunt, multo, ac etiam longissime plus illos esse, quam putentur. Quod, cum saepe saepius, variisque in caussis, & occasionibus animadversum sit, tum praecipue exploratum & omnino compertum fuerit isto potissimis EUROPAE PRINCIPIBUS obnitente, ac formidoloso BELLO; quod pro MARIA TERESIA REGINA sua MAGNANIMA, FASTOSque Triumphis auctura conclamaverunt, susceperunt, atque etiamdum gerunt. Ac gerunt quidem propriis maxima parte stipendiis belligerantes: belligerant au-

HUNGARI cum ad rem venit, faciunt, quod se decet, sua licet, seque haud ostentent.

tem

tem multa prudentia, & circumſpectione militari, invictaque fortitudine depugnantes: depugnant vero auſu incredibili, inexpectato ſucceſſu, & inuſitatis Facinoribus atque Victoriis. Quod, cum nemo ſit, qui ignoret, ſecum etiam reputet, quantum immortalis memoria, quantum Annales, & Ephemerides illis olim acceptum referre debebunt. Verum, ſatis de his, ut ne fortaſſe invidiam dictis conflare velle; atque jactationem, quam Gentiles mei impendio fugitant, ne prenſare porro ipſe, & ambitioſius affectare videar: dum contra Oratori, ac etiam Scriptori ingenuo, MAGNI TULLI monito *vitanda ſit ingenii, oſtentationiſque ſuſpicio*. (a) Quamquam haud ulli jactationi inſolentiori, aut inani oſtentationi verti poſſe putem Ego, dum candide quis, ac pro ſui ſuorumque tutela ea memoret, que nedum vident, verum ſuſpiciunt etiam, atque probant, ac mirantur fere univerſi.

(a) Cic. de Orat.

At tu ADVERSARIE, quid agis haec inter, quid cogitas? quid moliris? in arena quaſi capto conſilio (reor) inquies: ſi tantopere ſtudioſi, tantopere vigiles, ſi tam impigri, ſi tam etiam eruditi, quemadmodum dicitur, & adſtrui etiam utcumque videtur, ac probari; ſi demum uſqueadeo abundantes facultatibus, poteſtateque praeterea ſaeculari, ac profana praediti, HUNGARIAE PRAESULES, ut non vane REGULI quidam eſſe

putentur;quid quod tanta Haereseon,tamque restagnans colluvies? quam ob rem tot animarum millia in umbra mortis caligent? aut per errorum avia, caecata atq; palantia titubent? nisi vero egestati,nisi penuriae optimarum (quae publice tradantur) CHRISTIANARUM LITTERARUM, vix quidem alteri assignari potest.

Brevis Historia infausti Haeresum incrementi in HUNGARIA.

Et sentio, & ultro etiam admitto rem te propius acu tangere. Verum, dum respondeam, altius erit repetenda quaestio. Posteaquam LUDOVICUS, hujus nominis II. Rex noster, ULADISLAI, item II. Unigena, (QUI MARIAM, MAXIMILIANI AUGUSTI Neptem, solemnibus ECCLESIAE Ritibus, VIENNAE AUSTRIAE, per THOMAM, *Cardinalem Strigoniensem* sibi desponsaverat) elato Piissimo Patre Regni Solium inscendisset, pro ea, qua (admodum Juvenis) flecti potuit facilitate ad capessenda non usquequaque explorata consilia, fractis (si liceat dicere) Foederibus, bellum immanissimo TURCARUM Principi indixerat. Sed vero (malum siquidem principium sinister plerumque finis excipiat) adversus insanam, trucemque multitudinem in agro MOHACINO (infelices illas Hungarorum CANNAS) adverso prorsus Marte postea conflixit. Illic proinde supremus REGUM HUNGARORUM Flos deplorandus LUDOVICUS, tenaci per fugam limo defixus, resupinoque oppressus a Cornipede, mi-

sere

fere interiit. Occubuere ARCHIEPISCOPI, & EPISCOPI; quibus id temporis ex Lege receptum fuit (quemadmodum aliis pro Focis) ita pro Aris contra foedissimam Barbariem depugnare. Enecti cum PROREGE [PALATINUM appellitamus] Belliduces, Proceres, Optimates, Nobilium quique potissimi: quidquid propemodum, infelix tum ac miseranda PATRIA melioris obtinebat, gladio certe barbarico confectum, atque deletum est.

Quapropter exciso prope cum Pastoribus Dominico Grege, BUDAque Regni Metropoli nullo negotio capta, ac tota fere religiosissima Provincia tyrannicum sub jugum missa, HAERESIS, seditiosum monstrum (quae caedibus, cladeque innocuorum, solennia, atque peropportuna captat incrementa) impetrata a Barbaris facili venia, rupto velut aggere, praecipiti sese eluvione, inde ab recenti GERMANIAE in Fde naufragio infudit. Dein vero quamdiu belluina Thracum Potentia DIVORUM olim Sede REGUM insederat, ac Regionibus illis late imperitaverat, [imperitavit autem duo prodemodum saecula] adeo pervasit, ac restagnavit, ut deduci, depellique vix posse crederetur. Quid praeterea? Ubi demum CHRISTIANI PRINCIPES, qui jus ad Regionem sibi vendicavere, detestandam Tyrannidem propulsare, eiicere, exterminare nervis omnibus contendissent, inviti profecto, & in-

terpoſita minoris de duobus malis electione PRIVILEGIA nonnulla DIPLOMATIS uſque roborata, invaleſcentibus pravorum DOGMATUM SECTATORIBUS conceſſere. Vel quia praedivite, ac feraciſſima Ditione tuto potiri vix aliter fuit integrum in illo rerum infelicium articulo, & Chao quodam, indigeſtaque confuſione, niſi conciliare tumidos ac cervicoſos, quoquomodo pergerent: Vel quia exardeſcentibus ſaepenumero inteſtinis, aut mutuis AEmulorum, & Competitorum conflictionibus, huic, vel illi operam locando, quicquam Favorum ipſi (pro merito veluti mercedem) importunius exigebant. Atque adeo cedendum eſſe tempori, ſtudendum tranquillitati publicae ſatius tunc judicatum fuit, quam contra nequicquam agere, & adverſus torrentem quodammodo niti: aut ex re aliquando curabili, depoſitam conclamatamque facere. Quo factum eſt, ut Civitates quaſdam juris fere ſui, Locaque deſignata, inque TABULAS relata ad tempus ſortirentur. In quibus caeremonias ſuas factitare, abortivae RELIGIONIS SACRA peragere, ludos litterarios, uſu, moreque ſuo aperire, atque tractare, interea permiſsi; ac proinde *Tolerati* vocati: nunquam tamen pro INDIGENIS, ſive PATRIAE CIVIBUS habiti, conſcriptique.

Intellexiſti ADVERSARIAE tumultuarium, ac lacrymabile crementum feralium Haereſeon in HUNGARIA? Decrementi porro laetius atq; felicius nun-

nuncium accipito summarie. Post MOHACINAM proinde (quam lugubre adumbravimus) Cladem, aut verius internecionem (qua nervi pene omnes AVITAE, SANCTAEque RELIGIONIS IN APOSTOLICO REGNO illo succisi fuere) biceps (CALVINI, LUTHERIq;) *Errorum* Hydra, eo tandem obstipum, indomitumq; collum protulerat, atque arrexerat intestinis Conjurationibus, ac Rebellionibus ceu flabellis adjuta, (quas ipsa plurimum suscitabat succendebatque, aut secundabat) ut jam PROREGES quoque, & qui potissima REGNI Negotia ex Munere, atque Instituto tractare consueverunt, Haeretici legerentur, destinarentur, praeficerentur; imperante cum vi, tum necessitate. In hoc proinde extremam in ruinam vergentium rerum nostrarum praesentissimo discrimine (unica in Deo spe reliqua) constituebamur. At PIAE non minus, quam AUGUSTAE DOMUS AUSTRIACAE pro temporum ratione vigili providentia, PRAESULUM item solicitudine, strenuorum SACERDOTUM contentione, RELIGIOSORUM VIRORUM postliminio pedetentim immigrantium (qui universi aut contrucidati, aut extorres antea facti) exemplo, Doctrina; probissimarum denique Litterarum promotione, cultu, exercitatione; adeo tumdemum afflictissima PATRIA respiravit, adeo FIDES prisca refloruit, & quae oppido infrixerat, recaluit, fuisque quaquaversum Aris, atque Cultibus reposita, red-

Caussae reflorescentis jāpridem, & hodie praesertim, RELIGIONIS Catholicae in HVNGARIA.

reddita, auctaque fuit; ut hodie treis duntaxat, quatuorve numeres mediocris fortunae *Magnates* a Catholica professione, communioneque segregatos. Et si autem Viri Nobiles haud pauci sint, qui susceptum altius virus nondum cogitent regerere, atque evomere; hos nihilominus *Fidelibus*, ac recte sentientibus neque numero, neque *Majorum Imaginibus*, neque opum amplitudine; minus autem auctoritate, officiis, prudentiaque & sapientia superiores puta.

Atque contra hos etiam, & quosvis eorum similes, cautum jam optime provisumque est, Publico Regis, Regnique Edicto, in hunc fere modum concinnato: *Nullus deinceps Haereticorum, aut Schismaticorum ad quodquam publicum Regni Munus adsumitor; & ad eorum quodlibet perpetuo inhabilis esto. Siqui sacrilega Apostasia ab Sancta Romana Ecclesia desciscere praesumpserint, si populari conditione sint, saeculari adhibito brachio, comprehenduntor; Poenis severioribus ad pristinos tandem salutareis ritus rediguntor: neque prius liberi sunto. Sin vero de Nobilium sorte fuerint, Dies eis dicitor: Tum Caussa adversum eos consistitor. Convicti, tanquam notorie infames publicantor: Praerogativis continuo, siquibus insigniti sint, spoliantor; inhabiles ad omnia, quamdiu vixerint, habentor.* Quae singula profecto non in verbis modo posita, aut in Codice consignata sunt;

at

at vigent, virētq; hodie, & illibato plerumq; in flore adſervantur, inq; executionē veniunt in HUNGARIA.

His ergo adjumentis, PRINCIPUM nempe ac PRIMORUM, aſſidua, contentaq; & haud enervi Ope, atque Praeſidio; ac praeſertim (quod jam attigimus) EPISCOPORUM, & VICARIORUM GENERALIUM *importuna, opportunaq; obſecratione, & increpatione,* auctoritate, zeloq; & doctrina; PAROCHORUM item, ac REGULARIUM (qui certe *ſtramen otioſi non praemordent*) Catecheſibus, Cohortationibus, Evangelicae Veritatis praedicatione, adverſus *Rectores tenebrarum, & Magiſtros prurientes auribus* colluctatione, LEGITIMORUM DOGMATUM ſimul probatiſſimis cum LITTERIS (apertis paſſim Scholis, ac Lyceis) Inſtitutione, plurimi ab ingenerato errore (ſponte, aut vi, cum ſic expedit) reflectunt. Quo factum eſt, ut jam permultas equidem Civitates, Oppidaq; & Vicos, aut prorſus inveterato errore liberos eſſe, aut admodum repurgatos, vel in dies puriores, ſanioreſq; fieri, cum voluptate ſpectemus.

Exterminia bene multa Haereſii in HUNGARIA, e zelo Epiſcoporum Litterarumque inſtauratione, iſtis, ac ſuperioribus temporibus orta.

Qua de cauſſa, e PISONIAE Urbis medio HAERESIS LUTHERANA compluribus ab hinc annis proturbata fuit; Ampliſſimum in Foro FANUM per vim illi ademptum; ipſaque in Pomoeria relegata. Idem in SANCTI GEORGII Civitate; idem MODRAE, BAZINII, TERENTII, JAVARINI, VESPRINII, BRIZNAE, CREMNICII, NEOSOLII, CASSIAE, aliiſque Urbibus praeſtitum. SEMPRONII, SCHEMNICII,

cii, Eperiesini, Leucioviae, Papae, minus dimidio, de priori malo ſuperat. Buda, Strigonium, Pesthum, praecipuae Urbes, (ſi *Schiſmaticos* nonnullos, vile genus hominum demas) prorſus immunes. Tyrnavia (perbella Civitas) quae Calvini, Lutherique Sordibus teterrime putruit, Sociorum in primis Jesu ſudoribus penitus mundata. Prividia (Regium, peramplumque Oppidum) quae aegre animam tolerebat genuinae Religioni addictam, introductis Scholarum Piarum Regularibus Clericis, adeo perſanata eſt, ut ne veſtigium morbi ſuperſit. Idem confectum Vaciae, (opulenta ac populoſa Civitate) induſtria, pietate, potentia *Eminentiſſimi Principis* Sigismundi Kolonicii, nunc Archiepiscopi Viennensis, tum Vaciae Antiſtitis.

Quid multis? Cor profecto Pectus, Caputq; Hungariae, Regni alias (per *antonomaſiam*) Apostolici, jam pene ex integro perſanatum, convalidatum eſt, ſibique redditum. Enimvero, Praecipuae Urbes Regiae, & Episcopales Civitates, aut Catholicos prorſus Ritus profitentur; aut Romanam Religionem ad Clavum ſedentem verentur, eiq; venerationem deferunt, atq; Haereſim pro ſuppedaneo vel invitae adſternunt. Iſta quocirca in extremis (ut plurimũ) Regionis Partibus, inter videlicet praeruptos, & inacceſſos monteis, apud cavernas luporum, ferarumq; latibula, vel inhoſpitas per-

ſoli-

solitudines (sed neq; illic sine submissione, sine trepidatione) tendit tabernacula etiamdum; atq; sane Domos verius tralatitias, quam Domicilia figit.

Cura non postrema est, jamq; longiore tempore suscipitur, ut Civitas DEBRECINA, & oppido dives, & octogenis facile Mortalium millibus exuberans, Nidus aut Sentina maleolentis CALVINIANAE pravitatis, ad frugem quoquomodo reduci queat. Huc eapropter DECRETO semper AUGUSTI (quem jam aeternitati invidemus) CAROLI VI., atque Generalium Comitiorum STATUTO, RELIGIOSI SANCTI FRANCISCI, ac REGULARES CLERICI SCHOLARUM PIARUM non sine obluctatione efferati Populi, tanquam inermes Agni inter Lupos intromissi. Continuo vero dum calebat, ferrum tunsurus, Magnificentissimus Sanctae Rom. Eccl. Princeps, EMERICUS CSAKIUS, id temporis ARCHIEPISCOPUS COLOCENSIS, permagnae MOLIS, multique Decoris TEMPLUM, dictorum CLERICORUM usui, ac Ministerio excitavit, qui nempe PAROCHORUM simul Munere fungerentur. Illustrissimum quoq; P. BACONEM in *Partibus* (ut vocant) Episcopum, & Praepositum Varadinensis Canonicorum Collegii, Virum jam alias *Exaltationi* ECCLESIAE propemodum inhiantem atque intentissimum, facile permovit ad construendas Religiosas AEDES, an-

nuosque sustentationi Reditus destinandos. Hos aemulatus praepotens, atque Toga Sagoq; inclytus, Fide in Deum ac Principem incomparabilis, Beneficentia maximus, STEPHANUS COMES KOHARIUS, amplum SEMINARIUM liberali adjuncto Censu erigi constituit, in quo ALUMNI ADOLESCENTES educarentur edocerenturque; ii quidem in primis, qui erroneis DOGMATIS nuncium remisissent, aut hujusmodi improbi Instituti Parentibus essent progeniti.

His itaque non mediocribus initiis, & magnis quibusdam e seminibus, is demum fructus breviore intervallo procrevit, quod intractabiles, torvumq; intuiti Homines, & in necem vel aspectu designantes, ferociam posuerint, caperatam frontem planaverint:ac sternaces quasi antea, recalcitrantesq; & indomiti, tractari sese mulcerique,& fidentius compellari nunc jam sustineant, ac perpetiantur. Immo, cum antea geminae (vix amplius) animae, CATHOLICAE RELIGIONIS Mysteria profiterentur, ducenti hodie pluresve, pertaesi ac poenitentes Erroris, ab Orci semita recesserint. Ac nonnulli nonnullaeque, PATRICII usque ORDINIS: Quorum, sed praesertim unius omnium Nobilissimae, & pereruditae Matronae *Conversio*, diu quidem mente agitata, improviso tandem facta, facta (vero) animo prorsus resoluto, Amicitias, Clientelasq; insuper haben-

te,

te, obfirmato,nullifq; lamentis, expoftulationibus, & incantamentis cedente,profecto,quemadmodum Nos, ad quorum *Communionem* revertit, incredibili exultatione affecit; ita illos, queis tergum obverterat, acutiffimo dolore, inufitatoque pudore, pene confecit. VIR alius CONSULARIS, Graecis, Hebraicis, Latinifque litteris longe praeftans, poft diuturnas animi anguftias, quibus conftringebatur ad Veritatem amplectendam, in lectulum decidit: Mortifq; viciniam profpiciens, Sacerdotis copiam de nomine poftulavit ingenti defiderio, cordifque *compunctione*. Adfuit ille commodum: at heu! ejectus, acceffuque prohibitus perditiffimam per Conjugem Sacer Medicus, ufque dum (voti non fatis compos jamq; animam agens Maritus) pios inter anhelitus extingueretur.

Beneficentifsimo interea NUMINI Operariorum fuorum laborem fecundare placuit, & *Sermonem* Evangelicae Doctrinae *confirmare fequentibus fignis*: Cum igitur memoratos apud REGULARES, *Sacramentum Altaris* Populo adorandum ftato die proponeretur, gemini Adolefcentes, alter Catholicus, Calvinianus alter, radiis fulgentifsimis corufcum Puerulum intra Vafis aurati Orbem afpectavere, fubitoque prodigiofa luce percuifi in terram defluxere. Sibi redditi, fafsi feorfum funt alter incognitus alteri, ac per

omnia similiter etulere, quid vidissent. At vero interpretati istud Haeretici perperam, & fascinum per imposturam fuisse obtrusum dictitabant. Verum die altero, huic iterum *Latriae* (quod inquimus) destinato, ecce idem prorsus cum iis ipsis accidit. Rursum repente ab sensibus abeunt, in terram rursum collabascunt. Quo vero demum dubitandi ratio, aut oblique interpretandi facultas, tanto amplius adimeretur, en Juvenculus ille Catholicus, donec interea qui super prodigio legitime inquirerent, convenissent, praealto de Pegmate fallente vestigio lapsus, interque tigna, tabulas, trabesque ruens, & in saxa, lateresq; deciduus, sauciatus collisusque haud fuit; mansit contra incolumis: quo nimirum testimonio perhibendo (cumulato usque miraculo) superstes esset. Sacrosancta porro eadem illa Hostia, decennio (quantum memini) incorrupta extitit; immo casu (putem) fracta, rursum coaluit: donec tandem eorum, quorum intererat arbitrio, sub Sacrificio solemni commanducata fuerit.

Haec ergo ADVERSARIE, quae cumulatius confersimus, haec sint illa *incredibilia detrimenta*, quae *Res accipit Ecclesiastica ex inscitia litterarum in Regionibus* HUNGARIAE? Hae sint *enormes Christiani Officii perversiones, hi multi, & perniciosi errores, qui* eo de fonte *Evangeli-*

cam

cam in Doctrinam irrepere, & illabi possint? O quam te perdidit sin minus malitia, quae ab Homine ingenuo, ac percivili (qualem te plures opinantur) forsan aberat; profecto solutior quaedam de EXTERIS secius opinandi facilitas.

Quod si autem afferas, te *credulitate* ductum, persuasumque, talia profudisse, quae *error est magis quam culpa, & quidem in optimi cujusque mentem facillime irrepit*; (a) meminisse etiam oportuit, te ROMAE, praeclarae cujusvis Doctrinae, atque germanae Sanctitatis Fonte, FIDEI Regula, Morum Disciplinaeque Christianae MAGISTRA; te ROMAE universarum Gentium, in Sacrosancta RELIGIONE aggregatarum PARENTE; super Filiorum proinde suorum profectu laetante; contra vero, super jactura, detrimentoque, ac defectione; Ignavia item, & ERUDITIONIS necessariae inscientia, tristante ac dolente; te ROMAE verbo, (cuncta enim magnificentissimo hoc nomine complector) te ROMAE (iterum, iterumque, ac supremum dico) te ROMAE Rem tuam, tibi vix hilum proficuam, nobis autem HUNGARIS multum admodum injuriosam scripsisse. Et ea quidem ratione scripsisse, ut serius, ut sapiens, ut consultus, ut censorius, atque gravissimus; ut CATO tandem aliquis putarere. Cum haec itaque te affectasse, atque *ista esse auctoritate* tibi tu velle videri visus *sis, non de-*


(a) Cicero 10. Fam. Ep. 23.

be-

bebas M. Cato, arripere maledicta ex trivio, aut ex illorum fere convicio, (si dicere per modestiam liceat) quos M. Tullius hoc eodem loco & contextu nominat: (a) Sed neque temere GENTEM, huic URBI, SACRISq; ROMANIS addictissimam, atque oppido illustrem, *nullarum, aut pravarum Litterarum* consciam *vocare; ex quarum inscitia incredibile detrimentum* RES ECCLESIASTICA *capiat, & enormes Christiani officii perversiones, atque multi ac perniciosi errores in* EVANGELICAM DOCTRINAM *irrepere possint*.

(a) Pro Muræna p. 67.

Finis Partis Prioris.



VINDI-



VINDICATIONIS

PARS ALTERA SPECIALIS.



Liquid hactenus, ſin minus pro virili parte, ſaltem pro ratione Pietatis ad PATRIAE REGIONIS tutelam, Vindicationemq; diximus; nunc autem multo etiam magis intereſt, ut pro PATRIA CIVITATE, ut pro dulci SOLO, ut pro

pro Domo noſtra quidpiam afferamus. *Nimirum haec cauſſa eſt ejuſmodi, quam nec induſtrius, quam nec miſericors, nec officioſus deſerere poſſit*. (a) Quare, tempus demum, reſque poſtulat, ut dum alteram ſuſcepti Propositi Partem, ego qua defenſione, qua confutatione perſequar, tu aurem Adversarie animumque accommodes, ac veluti in ſpeculo cernas denuo, quanti naevi alii, novique ſqualeant in luctifica illa Oratione tua, quam pro Parentalibus Joannis Ernesti Harrachii Episcopi Nitriensis, male cohaerentibus e laciniis, eiſdem illis, atque aliis quibuſdam locis apparaveras. Atque licet Pars iſta, inferior fuerit amplitudine; ſuppar tamen momentis, queis ad ſibi velificandum me ſane non inclinet modo, verum pertrahat etiam atque adſtringat. Utpote quum & Paternae Domus, & cariſsimae Civitatis, & Venerabilis Dioecesis ratione, multiplici videlicet urgentiſsimo argumento, atqueadeo jure optimo maximo, meam ſibi Advocationem depoſcat. Enim vero, Civitate Dioecesique Nitriensi; Platea, Regiis Praerogativis ab reliquis diſtincta; Domo nobili, atque libera ego prodii, quiſquis demum, ac qualiſcumque ſim. Nitria mihi Vitae, & Literarum Altrix: Nitria me ſuſcepit: Nitria *Fidei ſalviſicae* Rudimentis imbuit: Nitria per omnes (quibus tenuis quidem ſum) Diſciplinas edu-

(a) Cic. pro L. Muren. p. 65.

TRANSITIO ad PARTEM alteram.

eduxit: NITRIA in Virum (si quis tamen reputari debeam) formavit. Refert idcirco aequissimumque est, nedum acceptum illi referre; verum etiam pro ea ipsa, & CIVITATE, & DIOECESI, DOMOq; & MAGISTRA mea; refert sane, aequissimumque est, quidquid possum, agere; quidquid virium, ac facultatis obtineo, (si modo digne possim) contendere. Atque quum istud non modo sit convenientissimum, sed longe quoque maxime gloriosum; *Vitae autem brevis fuerit cursus, Gloriae sempiternus; optandum tandem mihi & illud esse puto, ut cum omnibus mors esset definita, vitam ipsam, quae necessitati deberetur, huic potius donem, quam reservem naturae.* (a) Itaque *provehimur portu.*

NITRIA, BUDAM (Orbis HUNGARICI Caput) PISONIUMque interjacens, hinc L. inde LXXX. millibus passuum ad Septentrionem declinat. SEDES est Comitatus, sive Provinciae patentissimae, ab suo Nomine Nomen derivantis: Quemadmodum & Episcopi; ejus quidem unius de praecipuis REGIONIS PRAESULIBUS. Utpote qui & PROVINCIAM istam URBEMque (in spiritualibus aeque, ac politicis) pleno jure administrat; & REGNI CANCELLARII praesigni Munere, usu continuo ac perveteri, & Lege quasi a saeculis recepta decorari consuevit. Viguit hoc loco EPISCOPALIS CATHEDRA ab antiquissimis omnino temporibus: Enimvero jam olim aevo METHODII *Moravorum Apostoli*, & Ar-

(a) Cic. pro Sext.

Geographia Civitatis NITRIAE atque Chronographia, justa deniq; exactaq. hypotiposis.

chiepiſcopi, atque adeo Anno Chriſti octingenteſimo octogeſimo, JOANNES, hujus nominis VIII. Pontifex Maximus, *Wichinum* ſive *Wichingum*, Nitrienſem Epiſcopum hic ROMAE initiaverat, METHODIOque *Moravorum* Archiepiſcopo ſubjecerat: cum alias *Laureacenſi* apud *Noricum* Archiepiſco ECCLESIA NITRIENSIS pareret. (a)

(a) Annales Eccle. Hung. ad Annū 880.

SUATOPLUGO, ſive SUENTOPULCHRO *Moravorum* Principe, in magna PANNONIARUM parte rerum potiente, NITRIAE Civitas ad *Moravos* aliquandiu pertinuit: (b) neque enim ab horum finibus longe admodum ſepoſita eſt. Poſtea ab HUNGARIS Progenitoribus noſtris vindicatam, Divus PROTOREX STEPHANUS, idemque HUNGARIAE APOSTOLUS, ſanctiſsimis veſtigiis ipſe ſacravit circiter Annum Domini CIↃIV. Simul autem Epiſcopales Reditus, & Facultates Cenſuſq;, ac numerum Canonicorum Collegii, pro incredibili ſua pietate, atque beneficentia adauxit (c) Sub HUNGARIS porro Principibus, copioſa admodum NITRIA, praerogativis URBIS REGIAE diu gaudebat. (d) Subinde Bellis, atque obſidionibus creberrimis quaſſata, ac pene dimunita, in ſortem *Civitatis Epiſcopalis* recidit, ſuoque Praeſuli nedum *uti Paſtori Animarum*, verum jam tum & Domino ſubjugata fuit. Etſi autem Pagos ac Villas, quae tenebat in circuitu, hujus uſibus dimittere ſit coacta; ipſa nihilominus haud inanem ſpeciem pri-

(b) Bonfinius. Incoſſer.

(c) Bonfinius. conſtat etiam ex Archivo Eccl. Nitr.

(d) Liquet ex vetuſtis Privilegiis Civitatis &c.

priſtinae libertatis hodie quoque retinet. Neque enim, niſi quippiam, idque modicum aeris (*in recognitionem Dominii*) quotannis dependit; ac praeterea vix quicquam debet. Situ eſt peramoeno, atque ſane invidendo. Ea namque ex parte, qua ad Septentrionem deſinit, montem praealtum reſpectat, cui *Zoborio* nomen; a vini meraci praeſtantia dilaudato. Illi crepido Nubibus imminens, ſpatioſa, planaque. Mox defluum, addenſa, proceraque arbos uſque ad umbilium quantuſqcumque eſt obnubit. Sanctiſſimi heic olim CIVES NITRIENSES, nunc glorioſi Chriſti Martyres, ANDREAS, & BENEDICTUS, caeleſtem in ſpelaeo vitam duxere. Olim *Monachi*, Magni BENEDICTI Filii, hodie Nepotum ejus ſors quaedam (*Camaldulenſes* nominamus) Latus accolunt eminentis, ac protenſi Jugi: placidiſſima aeris felicitate, jucunditate aſpectus, commodiſſimis habitaculis, aquarum ubique ſcaturientium ſalubritate, vitae taedium levantes, mitigantes rigorem. Propius ad Montis pedem, Vineta, Pomariaque per plura paſſuum millia circumquaque porriguntur. Tum ager fertilis ſubjacet. Inde flumen (NITRAM vocitant) altum patenſque, Civitatem quanta fere eſt, nativo circo incingit, ac praemunit. Varii in hoc ipſo, & ad palatum in primis facientes Piſces, Cancri item retrocedentes, lenta item Teſtudo.

Septentrionem, Orientemque versus, illecebrosa, succidoque laeta gramine, atque aequabili planitie longe lateque diducta prata, inoffensum pedem ad inambulandum plane invitant. Ad Occidentem & Meridiem, Clivorum mites Thori crispo caespite viridantes, sacris AEDICULIS (quo se Pietas effundat) coronati. Inde Arva aperta. Vineta rursum. Postea Sylvae, celsa Quercu, Roboribusque horrentes.

Haec inter Naturae decora NITRIAE Civitas hilaris assidet, bicollis ipsa, atque gemina: *Superior* videlicet altera, altera *Inferior*. Extremae Rupi *Arx Episcopalis* insistit, Propugnaculis murisque editis, & hinc vallo de petra cavato, inde praecipitio inaccesso, Militum praeterea Praesulea Cohorte defensa. In corde *Castri* sive *Arcis*, magnificum Episcopale Palatium, tricliniis, cameris, conclavibus instructissimum, Picturisque perornatum. Huic adnexa CATHEDRALIS MOLES, auro, marmoribus, gypso, vivisque coloribus mire illustrata. Super cujus Porticu, vasta, productaque Turris, Statuis Divorum exculta, splendicantibus lamellis convestita. Cujus in medio insignis *Bibliotheca*: apud summum Aera campana insolitae magnitudinis. Delabitur demum collis Arcem sustinens, in planitiem per gyrum: in qua CIVITAS SUPERIOR incubat. In hac Canonicorum, Nobiliumque decen-

tes

tes AEdes; Seminarium Clericorum capax decorumque. Beati poſtea *Franciſci* Filiorum numeroſus *Conventus* Templo turrique ſublimi conſpicuus. Portam Urbeculae CURIA Provincialis adornat. Ambitur ind muro validiore, hinc vallo immane hiante: atq; intercurrente Fluminis brachio a CIVITATE INFERIORE diſcriminatur. Amplior iſta multo maxime. Templo Parochiali; altero Noſocomii; tertio, in quo pro mortuis litatur; quarto, DIVI STEPHANI Protoregis; quinto, DIVI LADISLAI item Regis, honeſtata. CIVES alit, qui Negotiationi ut plurimum, Artibuſque ſellulariis, aut etiam OEconomiae ſeſe dedunt. Contra *Caſtrum Epiſcopale*, alterum Collem apud finem protendit undique ſpectabilem: cui impoſitum praenobile, ac ſpatioſum Collegium PATRUM de SCHOLIS PIIS nuncupatorum, cum AEDE ſacra praegrandi, turribuſque geminis. Convictus item (quod ajunt) Nobilium Adoleſcentum: Gymnaſium praeterea quam ampliſſimum. Theatrum inſuper, exhibendis Dramatis peridoneum, atque CIƆ. facile mortalium turmam continens. Quae ſingula dextre innexa, oppoſitae *Arci Epiſcopali* de magnificentia controverſiam facere videntur. Univerſis deinde, quae uſui, aut etiam voluptati humanae ſint, haud mediocriter abundat. Atque, tametſi plurima tamquam ad Emporium Provinciae, frequenti mercatu, bis videlicet quavis hebdomade in-

inferantur aliunde, tamen haud equidem modicas Rerum ſpecies *habet* ipſa *domi*, ipſa progignit, atque educat.

Illi lanigerae Pecudes, validique Juvenci;
Illi laſſa ſuis (quae turgent) uberibus bos;
Atque paludoſam Sus farta frequenſque per ulvam.
Pulcher item, ac docilis ſeſſorem ferre Caballus,
Natus & incurvo Currum deducere collo;
Efflareque cavis generoſas naribus auras.
Et quae Luſtra habitant, & quae quocumq; feruntur,
Illi rure Ferae; Volucrum genus, & genus omne
Altilium; varii ſpecieque, ſaporeque Piſces.
Nec minus Herbarum ſors omnis, edacis aceti
Quas liquor, & placidae praemollit ſuccus olivae.
Tumque olus ingentis folii, radicis opimae,
Capituloque tumens grandi, ſcapoque praealto:
Et Betae, flavumque Siſer, pigrumque Papaver.
Allia non deſunt, non (ruris aromata) Caepae,
Nec Rapae teretes, nec treſſis edulia Porri.
Quaeque ſuas onerant placidiſſima pondera Matres,
Succida Poma, Nuces, Pira lenia, caerula Pruna;
Perſica (Cretenſi deductaque Cydone) Mala:
Meſpila, Moraq; Meraſa, Sorbaque; Cornaq; dura.
Caeraſa prae reliquis, & humi naſcentia Fraga.
Dives adhaec, & adulta ſeges: quid denique multis?
Arva feracia, Robora caedua, roſcida Prata;
Cunctaque POMONAE, *deformis cuncta* PRIAPI,
Et CERERIS, BACCHIQ; *& Magni munera* PANOS.

Haec

Lapsus ADVERSARII circa statum conditionemque CIVITATIS NITRIAE.

Haec ego licet nondum omnia, copiosius quidem pro amore in PATRIAM, genuine tamen de CIVITATE NITRIAE. Quae vero tu ADVERSARIE? quae Superi! atque qualia? De ipsa una eademque, modo album, modo atrum loqueris, ac tibi propalam tute ipse refragaris. En quippe pagina XVIII. *Nitriensem Ecclesiam, opulentam* adfirmas; id quod cum vero sane cohaeret: at contra, priore mox pagina *Pauperes* (ais) *Nitriae, ob Regionis naturam, in qua nec commercii opportunitas, neque industriae locus magnopere patet, plurimos esse*. O te praepostere impingentem! Profecto NITRIA, tum & HUNGARIA tota, non est quod a tua Regione commendicet. Bene vero cunctorum praedives Tellus, sin minus caetera, celebratissima certe illa universam per Europam Armenta, tuae quoque Regionis, gulae (nescio) an fami, quotannis suppeditat, dum Centenis plura Boum millia Exterorum indigentiae submittit. (a) Deinde, Conterraneos tuos quam saepissime immigrantes perbenigne recipit, fovet alitque, ac etiam plusculum opulentat: Utpote cum e dulciis, peregrinisque nostro in SOLO fructibus, Radulis item, Catinis, Cribris, aliisve Stanni, aut Lamellarum Artefactis, denique Murium Decipulis, Lucella corradant, dossuaria Recularum (mercium dicere volebam) negotiatione. A quibus ego quoque hoc vel illo obolo, semel, ite-

[a] Barclaius in ICONE.

iterumque ſum nundinatus non nihil apinarum. At ſinamus iſta ; neque enim P*atria Patriam*, verum *Homo unicus* univerſam *Patriam* nonuno dedecore collutulavit, fruſtra prorſus, atque propemodum pro libidine. Redeamus quocirca, unde paullum digreſſi.

Magnificas denuo, ac praeter ſpem ſplendidius efferss NITRIAM, volubilis ADVERSARIE: *Nitriae* (inquis) *tantus a me habetur bonor, quantus nobiliſſimae Urbi videtur eſſe tribuendus*. Ecquid autem poſtea? aſſentationem curtulam centone quodam opprobii penſas; & quod minus ferendum ſit, convicium commiſeratione (ut liberius dicam) incruſtas. Subdis namque: *Non tamen diſſimulabo ipſius in Litteris calamitatem, quarum vel nulla eſt; vel certa prava, & inutilis tradendarum colendarumque ratio. Ex qua litterarum inſcitia, incredibile eſt quantum detrimenti Res Eccleſiaſtica capiat: quam enormes Chriſtiani officii perverſiones, quam multi, & pernicioſi errores in Evangelicam Doctrinam irrepere poſſint. Quae cum ille ſingulari quodam judicio intelligeret* (ſcilicet Joannes Erneſtus HARRACHIUS Epiſcopus nuper Nitrienſis) *nullum non movendum Lapidem exiſtimavit, ut optima ſtudia in Eccleſiam ſuam inveheret*. Et poſt nonnulla: *ſtatuerat in Eccleſia ſua Scholas (quae nullae ſunt) inſtituere, in quibus plurimi Juvenes alerentur, imbuerenturque litteris*. Hacce concludis liberalitate illiberalem illam

illam facundiam tuam in comminiſcendo & conviciando. Etſi autem ſuperiore PARTE, velut in genere, atque ex cauſſa communi ſatis ego iſta (uti reor) confutarim ac refellerim; tamen quia FAMAM PATRIAE CIVITATIS, ac DIOECESIS noſtrae, quaſi deſtinato, & ex propoſito inquinari videam, operae pretium me facturum omnino exiſtimavi, & aequiſſimum fore duxi, ut novum, ac peculiare ſtudium ad haec ipſa concerpenda denuo conferrem.

In Civitate NITRIAE. SCHOLAE omnino ſunt & illuſtres, & non hodiernae.

Tametſi proinde ultro conceſſerim, Joannem Erneſtum HARRACHIUM magnifica quaeque animo concepiſſe ad illuſtrandas SCHOLAS NITRIENSES; & ni praefeſtinum Fatum antevertiſſet, futurum etiam fuiſſe, ut quae animo deſtinarat, opere ipſo compleret: Pernego nihilominus, *nullas* NITRIAE *Scholas eſſe*. Tantum enim abeſt ut nullae ſint, ut ſplendidae quoque, inſignes, ac tota Regione celebratae, jamdiu vigeant, inque dies magis magiſque floreſcant. Dic enim (ſodes) *nullas ibi Scholas eſſe*, ubi Gymnaſium ex mille Adoleſcentum Juvenumque frequentia coaleſcit? *nullas ibi Scholas eſſe*, quas tamen in dies adeant de SEMINARIO EPISCOPALI complures CLERICI; e Nobilium CONVICTU (plus minuſve) quinquaginta, iique *Comitum*, *Baronum*, *atque Praenobilium* Filii; caeteri autem qui millenarium complent, inque Civitate Hoſpitium obtinent vel

domicilium, Civium partim ac Patriciorum Nati; partim aliunde facti Convenae; iique plurimi spectatae illustrisque Prosapiae? *nullas ibi Scholas esse*, e quibus nihilominus clarissimi Religiosorum Ordinum Viri; zelo flagrantes ingenti usque numero Animarum Curatores; Praesignia Collegiorum *Canonicalium* Membra, & Columina; Sacratis Mytris conspicua Capita; *Comitatuum*, sive Provinciarum tot Praesides, totque Administri; Militiae Praefecti; Regiorum Tribunalium Judices, Regiique Consiliarii; summi denique & pereruditi OPTIMATES, CIVESque, ac PATRES PATRIAE prodiere, atque omni tempore prodeunt? Quae singula, usque adeo clara & luculenta esse scito in HUNGARIA, atque Solem propemodum in meridie. Tam praeterea nota cuique, ut neminem profecto repereris hac in re peregrinum, aut qui in oppositum vel summa labia diducat. *Nullas tumdemum ibi Scholas esse*, ubi totum id ego sane doctus sum, quod scio? Quod quidem mediocre licet, ac tenue, judicio videatur meo; tamen majus fuerit, quam nosse tandem *quid distent aera lupinis*. Atq; saltem, aequo inter eos me (putem) Jure retulerit, qui probis, commendatis, utilibusque litteris haud inutilem cassamque prorsus operam addixere.

Tum vero, arbitreris ADVERSARIE? & si ita quidem, an etiam veleas sedato collectoque consilio

silio arbitrari, primum *Joannem Ernestum* HARRACHIUM experrectum fuisse, qui, ut in URBE NITRIAE SCHOLAS institueret, admodum diluculo advigilaverit? Caeteros autem DECESSORES ejus laudatissimos, stertuisse omnes pariter, ac perpetuo? Reditus Episcopales turpiter decoxisse? Perditos, & immemores muneris vixisse? siccine vero pendis nihili, saevire usque & invadere in mortuos? Atque judicas Te infanda hujusmodi potuisse impune? O judicium atrox atque perversum! Ac certe istam ipsam tuam fuisse sententiam in conspectu est, absque negotio conficitur. Quid enim sibi velit (quaeso) altera illa commendatio, qua (summa reliquorum injuria) HARRACHIO blandiris: *Episcopatum tanto diligentiae, consilii, omnisque Pontificiae Virtutis fructu absens administravit, quantum nemo praesens unquam attulerat?* O insolentiam! o audaciam irreverenter prorumpentem! qua consopiti Episcoporum Nitriensium Manes, merito turbentur, & ad pro se dicendum, tuaeque petulantiae succensendum excitentur. Quem enim talem tantumque fructum is attulit ECCLESIAE NITRIENSI, qui nihil propemodum attulit, sed adferre solum cogitavit? Qui *magnorum* quidem *Vir desideriorum* fuit, sed ob mortem celerem vix vestigium facti cujusquam duraturi reliquit? Qui plurima licet, maximaque Virtutis, sapientiae, Pietatis, ac Liberalitatis

Inepte sane ADVERSARIUS, immo inique ac nequiter laudat Joan. Ernest. HARRACHIUM detrahendo DECESSORIBUS.

HARRACHIUS multa praeclaraque cogitavit, sed morte praeventus, vix quicquã cõfecit pro Civitate NITRIAE.

ſuae monumenta ad Poſteritatem transmittere, animo defixerat; verum iſta omnia ſuo funere conſepelivit? atque non tam e memoria hominum delevit, quam tacita etiamdum, & pectore primum concepta, quodammodo in herba praeſocavit? Crede enimvero mihi ADVERSARIE, cui RES omnes CIVITATIS NITRIENSIS tam ſunt exploratae, ac domeſticae, quam quod maxime; quive Joanni Erneſto HARRACHIO Antiſtiti deſideratiſſimo, ne hilum exiſtimationis dereptum velim, minus autem pertendam; Crede (inquam) mihi, nihil ab HARRACHIO pene in ECCLESIA NITRIENSI opere conſummatum fuiſſe ab ullo memorari, quod rarum aliquem *Pontificiae virtutis fructum* redoleat, atque oſtendat: quove deculpo majora ac praeſtantiora, laudem ſempiternam promeriti ejus DECESSORES non patrarint. Certe LADISLAUS MATTHIASOCIUS *Regni Cancellarius*, & glorioſus ECCLESIAE NITRIENSIS Pontifex, ipſe quidem Nobilis alioqui Fortunae, & originis; ſed ſapientia, ſed ardore zeli, ſed aequitate, juriſprudentia, eruditione, proque amplianda Numinis gloria, prodigioſa liberalitate longe nobiliſſimus, jam vertente ſuperiore ſaeculo hos per capita, ſtrictimque recenſos, indubitatos omnino, ac praeclariſſimos *Pontificiae Virtutis Fructus* non attulit modo, ſed accumulavit. Primo quidem, inclytum ſane COLLEGIUM Patribus a SCHOLIS PIIS vocita-

Benevero confecit plurima pro Civitate NITRIAE illuſtranda, Epiſcopus L. MATTHIASOCIUS Deceſſor HARRACHII.

citatis in ipſa Civitate; mox ibidem COLLEGIUM, ſive CONVICTUM Nobilium Alumnorum, qui FIDEI noſtrae *Sacris* primum initiarentur, quive Parentibus, Aviſque ab ea alienis deſcenderent. GYMNASIUM (item ibidem) patens ac magnificum: item SEMINARIUM CLERICORUM pervenuſtum peramplumque. HOSPITIUM poſtea, ſive DOMICILIUM ad orbitam reflectentium Haereſeos Miniſtrorum; Praeterea NOSOCOMIUM Calamitoſorum CIVIUM: Omnia iſta in eadem ipſa CIVITATE poſuit, ſtabilivit, locupletavit. Quid inſuper? illuſtrandae AEDI CATHEDRALI ſena nummum aureum millia teſtamento reliquit: *Penſitationes* CANONICORUM COLLEGII adauxit: ſupellectilem ſacram, auream illam argenteamque ac ſericam, ECCLESIAE, peramatae SPONSAE ſuae, haud mediocribus impendiis providit, apparavit.

Quid etiam demum extra CIVITATEM hanc ſuam geſſit? quid benificentiſſimus VIR alibi quoque confecit? quid egit? Compluribus Clericis ſuae DIOECESEOS, apud Academias TYRNAVIENSEM, & VIENNENSEM, in Philoſophiae, ac Theologiae STUDIA incumbentibus, de amictu, alimentis, regularique educatione abunde proſpexit: SOCIETATIS JESU Hominibus Dives Domicilium in Urbe, quae MAGNA FODINA dicitur; nec non alterum MONACHIS CAMALDULENSIBUS in Solitudine SCEPUSII, priore haud inferius, conſtruxit.

xit. Ad haec: singula suae DIOECESEOS TEMPLA, cum REGULARIUM, tum PAROCHORUM (quae centenarium numerum longe exaequant] Calice argenteo auro illito, divinisque Mysteriis aut peragendis, aut asservandis destinato, & plura, usque geminis, est muneratus. Denique GENUS suum, ad Catholicae Nobilitatis decus FACULTATIBUS admodum adlevavit, ex iis, quae per industriam, & frugalitatem reponebat. Sed neque tandem REGEM ipsum (OPTIMI PRINCIPIS gratissimus subditus) Munificentiae suae expertem esse voluit. Verumtamen sufficiat hoc loco meminisse unius istius immortalis equidem NITRIAE Antistitis: nam ex eo, de caeteris haud invita est consecutio paria sentiendi. Quum praeterea quorundam dum ad rem venerit, reminiscemur.

Ex his autem minime jam dubitem ADVERSRAIE, quin agnoscas, nimium assentando, atque non sine plaga veritati, famaeque alienae inflicta, auribus Te dedisse ELOGIO illo retro allato Joannis Ernesti: *Episcopatum tanto diligentiae, consilii, omnisque Pontificiae Virtutis fructu, absens administravit, quantum nemo unquam praesens attulerat*. Quemadmodum & in altero (oppido) fuisse hallucinatum, cum profunderes: *Statuerat in Ecclesia sua Scholas, in qua nullae sunt, instituere.* Quippe jam sentis, NITRIAE reipsa SCHOLAS *esse*: Neque vero SCHOLAS qualiscumque trivii; sed omnino

omnino egregias, perutiles, clarescentes. Nequaquam autem solum istae in CIVITATE NITRIENSI; Verum in ECCLESIA ipsa sive DIAECESI, aut COMITATU sive PROVINCIA NITRIENSI, aliae quoque plures, eaeque publicae, perantiquae, ac magnopere proficuae SCHOLAE sunt. Videlicet: TERENTII, Regia vetustaque Urbe; ubi & CONVICTUS (ut ajunt) NOBILIUM Adolescentum: SZAKOLCZAE, item Urbe Regia; ZOLNAE, & PRIVIDIAE, copiosis, ac liberis OPPIDIS. In quarum aliis, CLERICI a SCHOLIS PIIS vocati; in aliis CLERICI de JESU SOCIETATE, frequentium Juvenculorum vividas mentes moderantur, proque solenni solertia instituunt. Atque adeo nullam Tu demum *calamitosae inscitiae* maculam splendori ECCLESIAE, vel PROVINCIAE, aut ipsius CIVITATIS NITRIENSIS, aspergere valeas ex defectu laudabilium probarumque LITTERARUM, ac praestantium SCHOLARUM.

Intra PROVINCIAM DIOECESIMque NITRIENSEM, pluribus in Locis egregiae SCHOLÆ.

Siquidem (id quod ad rem sit) ex optimo Litterarum (qui ibi viget) Cultu, illud sane provenerit, quod CIVITAS, PROVINCIA, DIOECESISque NITRIENSIS (ceu Promptuarium quoddam) semper abundet VIRIS peridoneis ad Res sacras, profanasque gerendas; ad Caussas agendas, dicendasve; ad pro Tribunali sedendum; ad Magistratus administrandos; ad supremis Consiliorum in Senatibus nedum consulendum in medium, verum & praesidendum; ad negotia Belli, ac Pacis

Clarissimi permulti VIRI, e SCHOLIS Provinciae, ac praesertim Civitatis Nitriensis.

Pacis, impigre, atque ſtrenue tractanda. VIRIS (denique) Domi, Militiae, in Curia, in Ordine Pontificio, Praetorio, Senatorio, Tribunitio, apte, egregie, & virili pro parte verſari ſemper comparatis. Quae, eo minus a me conficta eſſe, tumideque prolata putes, quod videlicet nemini dubitationem in REGIONE noſtra afferant, & hodierno quoque tempore, atque etiam hoc ipſo hodierno die ſint compertiſſima. En quippe, ipſum PROREGEM, JOANNEM PALFFIUM, HEROEM tota Europa inclytiſſimum, atq; ipſis etiam Barbaris formidandum, de Provincia, ac Dioeceſi NITRIENSI computamus. Plures deinde Generales BELLIDUCES; CAROLUM ſcilicet PALFFIUM, Patri ſupparem; GHILLANIUM, HAVORIUM, PESTUARMEGEJUM, FORGHACIOSque, & alios. Mitto particulares, ac ſecundarios (longo Agmine) Legionum, Turmarumque Praefectos. Atque horum profecto pleriq; (citra jactantiam, aut quamlibet adulationem) nedum gladium vibrare, ſed calamum quoque ſtringere; nedum Aciem in Campo ordinare, ſed mentis quoque vim in Foro contendere; nedum *Curtii* Hiſtoriam, ſed *Juſtiniani* quoque *Codicem* excutere, ac propemodum *ex utroque Caeſares* eſſe didicerunt.

De PROVINCIA demum, atq; DIOECESI NITRIENSI (quae ſe per *Comitatum* uſque *Terentianum* expandit) non ſine maxima gloria recenſemus RE-

GIO in JUDICIO, universarum Litium graviorum PRAESIDEM litteratissimum, ANTONIUM GRASSALCOVICIUM, THRONI Columen (absit verbo invidia) & singulare ERUDITORUM HUNGARORUM ornamentum. Tum, nihilo inferiorem THOMAM *Comitem* BERINIUM; ILESHAZIUM postea; Paulum inde BALASSAM; ambos *Comites*, atque distinctarum Provinciarum Praefectos. Secundum hos, e REGNI SEPTEMVIRIS nonnullos; e *Supremi* REGII OECONOMICI CONSILII, JUDICIORUM*que Regalium*, ac *Districtualium* ASSESSORIBUS quosdam; e PROTONOTARIIS Regni, PROVINCIARUMque, sive COMITATUUM PROPREAFECTIS aliquospiam, numeramus. Omnes praeterea caeteros, domi utique nostrae natos, & indigenas computamus, qui certe plurimi PROVINCIAM amplissimam NITRIENSEM suo quique Ordine, ac Munere administrant. NOBILES porro PROVINCIAE atque DIOECESIS istius nostrae, facile universos (qui millenario fere superiores, iique frequentissimi summo loco nati, multaque sunt *fulgentes imagine Avorum*) hos inquam sicuti Fortunis praepollere, & enitere Natalibus; ita repereris ad omnem sane honestatem, comitatemque formatos, latinis aeque ac mansuetioribus Litteris nobiliter instructos, Caussas agere, dicereque; sententiam ferre, & rogare; aut opportune saltem hisce in negotiis sibi, amicisque consulere, & passim, & haud obiter peritos. Sed neque

mirandum cuiquam videri debet ; quandoquidem Ambitus ille, quo Provincia, Dioecesisque Nitrensis latissime excurrit atque panditur, potior quaedam ac peculiaris Regni cultioris, feliciorque florentis Patriae Portio jure nominetur.

Regulares VIRI Civitatis DIOECESISque NITRIENSIS, impensius Litteras colunt.

Si Regulares demum, sacraeque Conditionis Homines expendimus, qui in Civitate Provincia, Dioecesique Nitriensi degant, aut indidem oriundi sint ; tantum abest Adversarie, ut inscitiam justo illis opprobare valeas ; ut immo, ceu sortem haud postremae Felicitatis possis optare, quo nempe ubique terrarum usqueadeo Eruditis Deo Sacratis Viris gaudeat, polleatque Sancta Dei Ecclesia. Enimvero, in ipsa Civitate Nitriensi, Clerici a Scholis Piis nuncupati (taceo Regulares alios, qui caeteras per Urbes sibi profecto ac Litteris non desunt) Clerici inquam a Scholis Piis nuncupati, post universas politiorum Musarum Classes (de quibus jam ante diximus) etiam sublimiorem Arithmeticen, tradere in primis elaborant, qua Philosophiam, aut saltem Rhetoricam emensi Juvenes minimum XL. quotannis imbuuntur. Praeterea, Philosophiam alterne interim, Theologiam vero cum Dogmaticam, Sanctorumque Patrum; tum Scholasticam, sive Speculativam; necnon Moralem; atque etiam Juris Canonici

NICI

NICI SCITA continenter praelegunt. Jugiter autem PHILOSOPHIAM, *Religiosi* Sancti *Francisci*. Tanta autem & ipsorum MODERATORUM, solertis, indefessaeque industriae, ac singularis ingenii laude; & AUDITORUM lectissimorum profectu, ut hi, & illi, (sua quisque pro parte) strenuissimi, eximiam Doctrinae, studiique Famam late proferant: quae sane non unius istius DIOECESIS finibus arctetur.

Quae HARRACHIUS praeclare meditabatur pro splendidiore Augmento Scholarum NITRIENSIUM, ea ipsa per praesentem Episcopum perfectum iri spes est non parva.

Quae vero Joannes Ernestus HARRACHIUS, nuper ANTISTES NITRIENSIS, optima ac magnifica providi Consilii sui Decreta in effectum adducere nequiverat cita morte praeventus; qui nimirum oppido illustrare SCHOLAS NITRIENSES, complere numerosiore CLERO, nobilissimaque Adolescentia, de quarumvis rariorum hujus temporis DISCIPLINARUM praeclarissimis Magistris insigni beneficentia prospicere, atque celeberrimae cujusdam ACADEMIAE faciem, remque ipsam constituere, ratum omnino fixumque habebat, ac per litteras ad memoratos PIARUM SCHOLARUM CLERICOS datas, conceptissimis verbis exprimebat; Quae iste inquam celeri Fato praereptus, concepta (de SCHOLIS PIIS NITRIENSIBUS ad absolutum apicem provehendis) cupidissima VOTA exequi haud poterat, eadem ipsa in finem optatum perlatum iri spes est haud anceps atq; dubia. Neque enim cum vita laudatissimi Praesulis, ea ipsa intercidit, estque penitus emortua. Profe-

cto namque hodiernus Urbis Nitriae meritissimus Episcopus, Emericus Junior *e Comitibus* Estoradum, tanta est animi magnitudine, atque praestantia; tanta Prosapiae, ad summa quaeque peragenda natae claritudine, tanto zelo, religione, Litterarum, ac Litteratorum amore; tam acclini (ad incrementum splendoremque suae Dioeceseos) indole; tantis denique viribus atque facultate; ut caeca quasi Mors, Joannem Ernestum Harrachium non sustulisse, at permutasse; aut pro bono meliorem substituisse videatur. Is enim vero, is est Emericus, gloriosus Pontifex noster, qui Senioris Emerici, Archiepiscopi hodie ac Primatis, clarissimique Patrui sui, SUFFRAGANEUS (quod ajunt) multos per annos extiterit; Munusque istud admodum laboriosum, & intricatum; simulque alterum Majoris Praepositi in illustrissimo Canonicorum Metropolitanae Ecclesiae Collegio, ad amussim, atq; impigre omnino adimpleverit. Id subinde indefessis in obeunda utraque provincia studiis atque conatibus; id publica Virtutis, Prudentiae, Doctrinae, ac recte factorum existimatione promeritus, ut ipso Divi Cognominis sui Die ab serenissima Hungarorum (nunc fauste Rerum potiente) Regina, opimam illam atque illustrem Episcopatus Nitriensis Dignitatem in strenam Xeniumve receperit: tanquam videlicet conveniens-

PRAEDICATIO hodierni Episcopi NITRIENSIS.

niens humeris ſuis onus, Dotibus honorem, laboribus mercedem.

Mox deinde in aditu Dignitatis, Litteratos pro veteri uſu aeſtimare eximius ANTISTES, invitare, fovere; eorum conſuetudine oblectari; iis cum pene quotidie nedum amice ſermonem ductare, verum etiam creberrime conveſci: quo nempe diutius hujuſmodi peramato conſortio frueretur. Ante omnia vero cogitavit GENERALEM ſui praegrandis Officii VICARIUM, omnium maxime peritum, gravem auctoritate, exemplis vitae conſpicuum, prudentia circumſpectum, verſatum experientia, curis virilibus innutritum, fretum intrepida aequitate infractumque, deligere. Qui nimirum cum improbos mores (qui ſe filicis more, inviſae Colonis herbae, ultro, initimeque inſinuant, ac longe propagant) quaquaverſum radicaret atq; convelleret: tum praecipue ignorantiam divinarum rerum, juxtaque ad ſempiternam Hominis Beatitudinem pertinentiũ, erroreſque adverſus *Evangelicam Doctinam* aditum tentantes, vel a veſtibulo excluderet, ac procul arceret. Itaque caeteros inter, his omnibus communitus magis, & reliquis potior, facile oculos ejus mentemque adverterat STEPHANUS AUGUSTINUS NOZDROVICIUS, LECTOR CATHEDRALIS ECCLESIAE NITRIENSIS, *Electus Epiſcopus Catariae*, *Praepoſitus B. M. V. de Novo* *Mon-*

Praedicatio hodierni VICARII GENERALIS Dioeceſis NITRIENSIS.

Monte Pestiensi, & unus Praelatorum e Regni Septem viris in Supremo ac *definitivo* CAUSSARUM omnium MAGISTRATU. Vir profecto Theologiae, Jurisprudentiae (Ecclesiasticae perinde ac Civilis) cognitionibus, impensa vigilia partis, universorum judicio quam instructissimus; verendus catoniana quadam, sed mansuetudine temperata gravitate; percelebris defaecato, integerrimo, atque prorsus maturo consilio; facundia latinae linguae promptissimus, ac propemodum *extemporalis*, isque elegans disertusque *Rhetor* merito existimatus. Cunctis denique Naturae, Jngenii, Virtutisque decoribus tantopere praeditus, ut in Corona Sapientum ac Litteratorum, sin minus potiore illum subsellio, non certe postremo colloces, quisquis propius cognoscas.

At quorsum haec tamdiu? Illo sane ADVERSARE, ut Ruditatem, ut JNSCITIAM Litterarum retegam ac denudem, qua CIVITAS, ECCLESIAQUE NITRIENSIS squaleat: ex qua nimirum *inscitia* quid ni vero illud *incredibile detrimentum Res Ecclesiastica capiat*; tuaeque illae *enormes Christiani officii perversiones*, tui illi *perniciosi errores in Evangelicam Doctrinam irrepant*?

Atque, jam satis (reor) proditum fuit, quae LITTERAE NITRIAE; qui, quantumve scientes Religiosi Homines; qualis, ac quantus ANTISTES, quam singularis, nostraq; commendatione major, qui vices illius,

illius (ex munere) ſuſtinet obitque. Reliquum ergo eſt, idque ex re noſtra futurum omnino, ut curſim, ac pauculis indicemus, qui, atque quales caeteri, qui Lectiſſimum CANONICORUM COLLEGIUM conſtituunt. Alter itaque ſecundum NOZDROVICIUM, LADISLAUS SZÖRINIUS memorandus venit, ECCLESIAE (ſcilicet) NITRIENSIS CANONICUS; iſque (una) SIRMIENSIS nunc dierum EPISCOPUS. Potioris quidem ipſe de PROVINCIA NITRIENSI Nobilitatis; ſed virtute, doctrina pariter, ac Vitae integritate multo nobiliſsimus. THEOLOGIAE, CANONICIque JURIS Laurea, ante quinquaginta (plus minus) annos redimitus; editis demum hujus inſtituti, ac etiam hiſtoricis, aliiſve piiſſimis lucubrationibus, Coelo ſub noſtro longe maxime inclaruit. Ob elimatum, limpidumque, ac rectiſſimum, diuque PATRIAE atque PRINCIPI probatum Conſilium, prolixo temporum ſpatio ſummis in REGNI Tractatibus ad partem oneris veniebat. Tum obrepente, immo placide adventante, pulcherrima, mentiſque prorſus integra ſenectute, ſuper *Candelabro* SIRMIENSIS ECCLESIAE (aſſervata priore ſportula) pluribus ab hinc annis eſt collocatus. Vitae autem (quam vere candidam, recteque ac ordine (diutiſſime) geſtam, lacteis jam canis decoravit, atque qualis intus niteat, quodammodo patefecit) Vitae (inquam) & converſationis, adeo inculpatae illimiſque con-

Compendio, atq; ordine comprehenſae Laudes CANONICORUM NITRIENSIUM.

continenter audit, ut quique in eum intendentes, naevos etiam minutiores, quibus essent obnoxii, tanquam in speculo notaverint semper, & observarint.

Alii demum, qui pone istum sunt Canonici Nitrienses(ne per singulos minutatim occupemur) certe plures, SACRAE THEOLOGIAE DOCTORES solenni forma creati fuere: aut saltem hac in SCIENTIARUM *Architectonice*, facti (uti vocant) *Baccalaurei*. Caeteri ad Populum exordine verba facere, divinaq; Mysteria nunciare, legatione fungi ad PROVINCIAE, aut etiam REGNI COMITIA, in Arena THEOLOGIAE ac PHILOSOPHIAE, litterario certamine ex Artis Legibus decertare, & naviter exercitati, & hodie quoque expediti, atque soliti.

In HNGARIA nemo facile ad Canonicalem Dignitatem provehitur, qui non antea in Vinea Domini *insudaverit.*

At quotus eorum quisque est, cui assa per ventos columba venerit? qui Dignitatem illam commodis affluentem, eliquatis prius in *Vinea Domini* bene multo tempore sudoribus, quasi totidem gemmarum pretio non compararit? Qui nedum sarculum in colendum *Agrum Evangelicum* hac vel illa vice demiserit; sed callos etiam non obduxerit? qui complures Oviculas luporum faucibus haerentes non eripuerit? qui devias & errabundas solicite non vestigaverit? conquisitas humeris non susceperit? susceptas in Magalia non retulerit? qui collisas non alligaverit? non consolidaverit? jejunas ac sitien-

tes

tes non paverit? non potaverit? Profiteor tibi fide quanta valeo maxima heus! ADVERSARIE, in more semper positum fuisse, ac etiam DIVIS olim ab REGIBUS constitutum in HUNGARIA, haud facile quemquam CANONICORUM in COLLEGIUM adnumerari posse accenserique, qui non antea in Animarum operosae provinciae procuratione diu multumque vires infregerit, ac pene detriverit: quo videlicet *Bravium* quoddam temporale, dulcemque interea requiem post exsudatos, exantlatosque labores capesseret, antequam consummatae, & interminabilis *Justitiae reposita in Coelo corona redderetur*.

Ingentia lucra Animarum, quibusdam a Canonicis Nitriensibus reportata.

Inde vero ausim adfirmare, a me ipso cognitos fuisse quospiam de contubernio CANONICORUM ECCLESIAE NITRIENSIS, qui terna, atque quaterna, qui etiam plura Animarum errore deviantium atque palantium millia, CHRISTO *lucrifecere*.

En jam itaq; confertam TURBAM *indoctorum, imperitorum, illiteratorum* NITRIENSIUM! Ecce *incredibilia Rei Ecclesiasticae detrimenta ex eorum inscitia!* Ecce *enormes christiani officii perversiones!* Ecce *multos, & perniciosos in Evangelicam Doctrinam irrepentes errores!* Videsis ergo, & pareft, ut videas, quam nihil magis finitimum procliveque fuerit ad errandum, quam de longinqua & ignotiore GENTE scribere. Praesertim, si quis nullam de illa experientiam comminus acceperit; atque sin minus

Z im-

imaginationibus suis,relationibus proinde excogitatis & commentitiis male affectorum, aut quaelibet facile garrientium inhaeserit. Quod esse videtur genus majoris amentiae, quam si nihil fere is ratione perciperet, atq; intelligeret. *Minus enim stultus est is, cui nihil in mentem venit; quam ille, qui, quod stulte alteri venit in mentem, mox comprobat*. (a) At parce audaciori sententiae, quam recrudescens,& vix comprimi sustinens dolor, iterum elisit. Quae quidem si tibi conveniat minime, ego illam mox resorbeo, illico in Pectus imum retrudo.

(a) Cic. pro Cluen. p. 78.

Verum age, divertamus paullum *ad Agricolas, & Vinicolas Divini Patris Familias in Agro* ECCLESIAE NITRIENSIS laborantes: quos parvo, aut nullo Nominum discrimine *Parochos, vel Plebanos* vocitari, usus obtinuit ac recepit. Utq; a Capite fluat exploratio, perquiramus primum nonnulla de *Parocho* URBIS NITRIENSIS, STEPHANO (nisi fallor) SARTORIO. At, quid eho! iste, bene curata cute nitidus, & infartus? an (contra) macer, & exuccus animo? minime gentium. Non quippe macies illi, ac jejunitas Orationis, quum singulo *Dominico Festoque* Die pro concione dicit & urgentius, & valide, & copiose. Non vacua illi aridaque collo insidet cucurbita; siquidem morato multorum millium, ac percivili numero, haud sine delectu fuerit

Zelus, & eruditio Parochi NITRIENSIS CIVITATIS.

rit

rit praefectus. Non enervis, aut ignava illidexteritas, solicitudo, habilitas; quippe cum in omnes partes exacte, ac navissime semper se se gesserit. Quid, Deus bone! egerit? quid immo non egerit, dum paucis ab hinc diebus totum (quantus est) Gregem Dominicum, suae curae creditum, interneciva contagionis acerbitas, annum integrum dire vexaret! Quia proinde communem calamitatem ad se pertinentium, defugere neque poterat, neque etiam volebat; vitam intrepide in discrimen conjecit, inque manus mortis quodammodo tradidit. Enimvero, pari fere audacia (quantum per prudentiam licuit) cum morbidis atque sanis, dum obsequia impenderet, agebat. Itaque contabescentibus, alacriter sacramenta ministravit die nocteque: Corporibus aeque ac Animabus praesto fuit, ut mederetur: cursabat proprie, indagans, ubi opem spiritualem aut temporariam, ubi solatium, ubi alimentum, ubi medicinam, ubi salutem praestaret. Modo enecta corpora efferebat, modo rem divinam peragebat, modo in viam aeternitatis comparabat sacratissimo commeatu, modo Noxarum confessionem excipiebat. Modo ad languentem Concionem, & acerbissimo Fato de spe dejectam, verba faciebat, ut istam (nondum penitus conclamati) in Deum erigerent; aequanima tolerantia irati Patris AEterni severiorem virgam perfer-

rent; minus, quam commeruerint, se perpeti dicerent, ac etiam sentirent: ingemiscerent, suspirarent, pugnis pectora plangerent, lacrymis maculas eluerent, seriis propositis ad innoxie vivendum (si vita prorogaretur) sese confirmarent: sin minus, vitam potius immortalem, quae pro nullo amittenda sit, respectarent, quam vitae hujus (ut florentis, ita caducae) jacturam dolerent. Quae omnia, atque singula, tam insigniter, tam expedite fuit exequutus, ut hodie quoque percunctorum ora, magnifica commendatione feratur, sempiternamque sui memoriam Pectoribus plane impresserit, per manus (quod ajunt) decimos ad Posteros traducendam. Quo etiam factum (perbenigno Numine summa Hominis studia, praesenti adminiculo probante) ut cum bina Mortalium millia unus prope ipse ad mortem comparasset, intra attiguam quodammodo, suosque artus parte ex omni adlambentem (si dici liceat) contagionem, inter intentatas undiq; feralis *Libitinae* falces, inter cadaverum (supremos halitus expirantium, jamjamque in seipsum proruentium) tristissima spectacula; in ipso deniq; vitae periclitantis articulo, continuo versatus, ipse nihilominus hilaris, sospes, vegetus, firmus ac robustus ad finem durarit. Totque Animarum assertor, ita demum de morte triumphaverit, ut non amplius suffragiis, non commendatione,

non

non extorſione, non impia nundinatione; ſed meritis, nervose perorantibus, ſed ipſis propemodum reliquorum Civium manibus in CANONICORUM ECCLESIAE NITRIENSIS COLLEGIUM (uti ad me perlatum eſt nuperrime) ſit illatus. At quid iſte apud ADVERSARIUM? Homo tranſlatitie doctus, litterarum rudis, ad balatrones relegandus; verbo: *Nitrienſium* aliquis, e quorum *inſcitia, incredibile eſt, quantum detrimenti Res Eccleſiaſtica capiat: quam enormes chriſtiani officii perverſiones, quam multi, & pernicioſi errores in Evangelicam Doctrinam irrepere poſſint*.

ZELUS Parochorum aliorum Dioeceſis Nitrienſis, & ſuſcepti geſtique Muneris ordo, atque ratio.

Nunc de Parochis aliis quicquam generatim, ac per *Epitomen*. Animadvertendum quocirca, DIOECESIM NITRIENSEM centum (& quod excurrit) paſſuum millibus protendi in longum, in latum non item. Ut autem ſpatioſa ipſa ſit, ac Civitatibus, Praediis, Oppidis, Pagis, Villiſque referta; centenos duntaxat, aut paullo plures Parochos connumerat. Tum vero, pro exerrantibus per Avia Haereſeos non pauculis *alienis Ovibus*, haud paucos Orci *Mercenarios*. Nihil ſedenim ſubeat ſuſpicionis pro tanto TELLURIS ambitu pauciores eſſe *Operarios*; aut pro tanta *Ovium* multitudine *Paſtores*. Enimvero in HUNGARIA, ac fere in AUSTRIA quoque, cuivis Oppido, ſingulae Civitati, quanta demumcunque ipſa ſit, unicum *Sacrorum Miniſtrum*

ſtrum

ſtrum attribui praeficique, hactenus conſuetum fuit. Cui deinde *Regulares*, aut ſi neceſſe ſit, unus alterve (úti vocant) *Capellanus*, opportuno ſint adjumento.

Ruri poſtea; binorum, ternorumque, ac plurium nonnunquam Pagorum, Praediorum, Villarum, unicus plerumque curam (antea) operoſe ſuſtinebat. Verum FERDINANDI (putem) III. LEOPOLDI I. ac potiſſimum CAROLI VI. Optimorum Principum a temporibus, Parochiae ſubdiviſae, ac proinde multiplicatae ſunt per univerſam REGIONEM noſtram, quantum licuit. Conſtituta Penſione in *Legitimam Miniſtrorum ſuſtentationem* ex AERARIO PUBLICO quotis annis: liberalitate partim memoratorum Piiſſimorum Principum, partim ex acciſis Reditibus ECCLESIARUM *Cathedralium*, per quamdam *Falcidiam* nuper coeptam. Cujuſmodi ſubſidium, ex duo deviginti plus minus nummum aureum millibus annorum ſingulorum circuitu aggregatur.

Etſi autem hodie quoq; nonnullos reperias Parochos in DIOECESI NITRIENSI, qui duorum etiamdum, ac trium minoris Populi Pagorum curam ſubeant; atque laborioſum admodum iſtud eſſe, multique ſudoris *Apoſtolici*, nemo non videat; tamen pluribus de cauſſis abſque defectu jacturaque animarum omnino peragitur. Enimvero, Parochorum hujuſmodi, ſingulus (certe)

Bi-

Bigas, ac fere Quadrigas cum Rheda, Rhedario vel Agazone possidet, ut quolibet (dum est necesse) advolet. Quid ni vero advolet potius quam accurrat, pro conditione Cornipedum nostratium? quos volitare potius, quam ferri, est in proverbio. Accedit: zelo praefervidos Pastores alacri profecto rapi, ferrique contentione; ut sibimet sane crebrius, quam creditis animabus usquam deficiant. Inde est, quod fere quibusvis *Festis* diebus, *Dominicis* autem singulis, jam hoc, jam illo loco *Missae Sacrificium*, solenni celebritate, cantuque offerant; *Verbum Dei* de suggestu praedicent; ante & pone, *culpis cognoscendis* aures accomodent in Sacro Tribunali. A meridie rursum, promiscuam Adolescentiam, rudemque (sicubi sit) plebeculam, in sylvis cum pecude (ut fieri solet) enutritam, catechesi informent; odia Conjugum, Vicinorumque sedent, lites componant; supplicationes (haec inter) ad impetrandum jam sudum, jam pluviam (cum opus est) factitent. Quae, quia non nisi viribus animi ac corporis (impendio) contentis, persolvi valeant, haud utique conficere ipsi atque explere possint, si (quemadmodum Tibi ADVERSARIE visi sunt (si rupices inquam, si indocti, si agrestes, si pulcherrimarum litterarum egeni sint, atque vacui.

At vereor, ne pro sagacitate tua (quequam procul odoretur, haud satis percipio; quippe

pe

pe cui, quis intus, & in cute sis, nondum plene ac penitus innotuit) vereor, inquam, ne tu pro sagacitate tua his nos, aut similibus in sermone captes, atque argutius interpelles: Homo audacule, & paullo (quam aequum parque fuit) fidentior; equidem fieri nequit, nisi idoneorum peritorumque SACERDOTUM egestate, qua DIOECESIS NITRIENSIS laboret, quodque unicum ego in illa Dictione funebri commiserando ac dolenter afferebam; nisi inquam Litteratorum penuria, quod (scilicet) admodum exiguo PRAESBYTERORUM manipulo, vastam adeo Provinciam procurandam, sive tot animarum millia regenda, instituendaque credatis, ac committatis. Inde quocirca proficiscatur necesse est (id quod optime advertebam) ut ERUDITORUM, Gnarorumque PASTORUM paucitate intendere quaquaversum minime valente, liberius, & faciliore aditu GREGEM Lupi incursent, atque assiliant, OVES dispescant, diducant, avellant. Vel demum, ad Mandram reducentes calles, impedimentis longe lateq; praestruant. Atque ob id, jure subjunxisse videri debeo, *esse* nimirum *incredibile, quantum detrimenti* apud vos *Res Ecclesiastica capiat: Quam multi, & perniciosi errores in Euangelicam Doctrinam irrepere possint*.

Nae Tu ADVERSARIE, hujsmodi *Assumptione ad rem tuam verba contulisse*, quibusdam multo

to maxime viderere, atque callide omnino, ac perspicaciter arguisse. Verum, si ita etiam loquereris, si ista etiam divinatio tua locum haberet, haud sane tum quoque statione nos depelleres, non vim roburque eorum, quae jam attulimus, ac postea afferemus, infirmares. Quid enim? esto ita; demus id ultro etiam: centum videlicet illos, aut paullo plures Parochos, esse paucos admodum pro ampla adeo DIOECESI NITRIENSI: ut pauci nihilominus videantur eis, qui Res nostras propius, atque penitius non sunt intuiti; tamen per ejusmodi quoq; argutationes, vel subreptiones (quid convenientius dicam, ignoro) tamen inquam, haud profecto demonstraveris calamitosa, & ECCLESIAE perniciosa inscitia eos laborare. Tua vero (in DICTIONIS illius funereae inviso paragrapho) ea potissimum fuit intentio, studium, voluntas; non videlicet paucos, qui PRESBYTERI sint, in ECCLESIA NITRIENSI reperiri; at paucos, qui docti, quive Litterarum periti sint. Pretendebas quippe, *nullas in ea Scholas esse; verum communem in Litteriscalamitatem: quarum vel* NULLA *sit, vel certe* PRAVA, *& inutilis tradendarum, colendarumque ratio*. Quia proinde paria minime sint, paucos esse, & inscitia squalentes; illo quoque ad speciem subtili cuniculo aegre vel hilum profeceris.

In DIOECESI Nitriensi, Parochi sive Presbyteri neque pauci sunt, neque insufficiẽtes. Sed etsi de tur esse pauciores, non sequitur esse indoctos.

Tum vero, falsum omnino est, quemadmodum

Institutio in omni genere Doctrinae ad Praesbyterum spectantis, Cleri Nitriensis Ecclesiae; quod idem & de aliarũ Ecclesiarum Clericis dicendum.

dum egregie litteratos non esse, ita modicos esse ac pauciores, quam sint requisiti. Quippe qui redundant, quomodo pauci sint? (*Quod profecto tam est possibile, quam graece scire quoslibet*; uti CICERO dicere amabat) Atqui Dioecesis nostra non illos solum PRESBYTEROS, aut VIROS ECCLESIASTICOS connumerat, qui in praesenti *Dominicis Ovibus* advigilant: Enimvero praeter eos, qui in URBE NITRIAE Studiis Litterarum dant operam complures Episcopales Clerici, veluti praemisimus; sunt alii facile viceni, qui TYRNAVIAE (ab Emporio Litterarum florentissima PATRIAE nostrae Civitate) ad usum ECCLESIAE NITRIENSIS, continuis istius impendiis, & rite educantur, & Philosophicis, Theologicisque Disciplinis plenissime imbuuntur. E quibus non raro unum alterumve in hanc quoque URBEM ad *Collegium Germanicum* jure perveteri transmitti videmus. Horum igitur aliquos, emenso etiam Studiorum curriculo, ad Pluteum residere ac remanere quasi superfluos, persaepe oportuerit; quamdiu nimirum Lacuna non interveniat, quam implere; rima, quam obturare debeant. Donec (videlicet) aliquispiam Parochorum per mortem, aut quoquo modo altero, loco, & munere non decedat. Interea vero in abstrusioribus ac reconditis *divinorum Mysteriorum* Cognitionibus, in *Dogmatis* FIDEI adstruendis ac vindicandis, in solemnibus

ECCLE-

ECCLESIAE Ritibus & Caeremoniis, in dicendo ad Populum, exercitantur, perficiuntur. Neque prius e Domo ad regularem ordinem composita pedem efferunt, quam in his omnibus, in LITTERIS (utpote) politioribus, ac severioribus, inque caeteris, qaue modo praemisimus, septenis alii, alii octonis novenisque annis distineantur, atque sane laborem exsudent.

Pro laudatissima quippe, eaque CONCILIO TRIDENTINO in primis conformi, ac perpetua HUNGARIAE consuetudine, haud ullus in ORDINEM CLERICALEM refertur, vel assumitur; nemo pene unus in Ministerium Altaris ordinatur alio, quam ECCLESIAE *Titulo*. Neque usquam alibi degere fas illi integrumque fuerit, quam in SEMINARIO PROFICIENTIUM, quandiu ad obsequium ECCLESIAE non destinetur. Tum vero, cum senio aut morbo confectus est, aut quapiam calamitate redditus inutilis, *Rude* quasi donatur, & in DOMUM INVALIDORUM, vel DEFICIENTIUM redigitur: ubi supremae illi officiis Caritatis praesto sunt ad id constituti.

E quibus sic ordinatim deductis, quid ni quocirca liquido constiterit, in ECCLESIA NITRIENSI PASTORES CURATORESque PLEBIS Christianae, nedum suppetere, verum & superfluere? atque adeo non modo non esse pauciores, verum etiam copiosos? Quandoquidem autem tam diuturna,

 eaque

eaque praeclara, ac vigili institutione formentur, qui porro fieri queat, ut ne Litterati, ut ne Eruditi, ut ne scientissimi sint? Adde: sub DIOECESIS NITRIENSIS climate ac sydere natos Juvenes, limpido (ut plurimum) felici, ac promptissimo; firmo praeterea tenacique esse ingenio, ob aeris temperiem atque clementiam. Quare pervulgatum est, neque proinde jactantiae gratia adinventum, & ROMAE *Germanico in Collegio*; & VIENNAE AUSTRIAE (cujus antiquissimam Studiorum UNIVERSITATEM multis retro Lustris frequentavere) & in patria TYRNAVIENSI ACADEMIA, & in LYCEO NITRIENSI, CLERICOS ECCLESIAE istius, aut semper palmam praeripuisse navatione, profectu perspicacia; aut paucis omnino concessisse.

Inde fit, quod PAROCHI, ac PRESBYTERI ECCLESIAE NITRIENSIS, in Philosophia perinde ac Theologia, MAGISTRI, DOCTORESque passim audiant: passim *Laureis*, *Gradibus*, *Praerogativis*, in FACULTATIBUS LITTERARIIS sint insigniti. Propterea CHRISTIANUS AUGUSTUS *Saxoniae* DUCUM sanguine oriundus, PURPURATORUM ECCLESIAE PATRUM Decus, & REGNI HUNGARIAE PRIMAS, atque ARCHIEPISCOPUS STRIGONIENSIS, dum circiter Annum Domini Quartumdecimum supra MDCC. subjectas sibi DIOECESEIS pro Potestate lustraret, quove ordine statuque, Res Ecclesiasticae gererentur, atque consisterent, coram, ac peni-

penitus inſpiceret, de PRESBYTERIS ECCLESIAE (qua patet) NITRIENSIS, ſponte, ac libere (id quod erat) enunciaverat: *haud uſquam doctiorem, ac rectius ordinatum Clerum ſeſe reperiſſe, qua perexerat, quam intra ambitum* DIOECESIS NITRIENSIS.

Iterum proinde, atq; iterum tecum expoſtulo ADVERSARIE (neque enim taedet idem ſaepius regerere, utpote atrox admodum, & oppido injurioſum) rurſus inquam tecum expoſtulo: Haeccine illa fuerit *Nitrienſis Eccleſiae communis in litteris calamitas, ex quarum (ſcilicet) inſcitia, incredibile ſit, quantum detrimenti Res Eccleſiaſtica capiat? quam enormes Chriſtiani officii perverſiones, quam multi, & pernicioſi errores in Evangelicam doctrinam irrepere poſſint?* Quae tu (ſane) de quibuſvis Barbaris, vel Aſiaticis, ac prope Tartarorum Populis; de iis tandem omnibus, apud quos probae Chriſtianaeque Litterae prorſus lugeant, proſtrataeque ſint, haud majore propemodum inſolentia, atque inclementia ſcribere poteras. Vide quocirca, ſi humani tibi quicquam ſenſus ineſt, quemadmodum jam undique circumcluſus, occupatus, conſtrictus; immo captus, immo jugulatus prope, confectuſve ſis. Verum enim, nolim adhuc te penitus extinctum: ſervandus mihi es ſupremum in Triumphum.

Jamvero, hanc ad rem in primis conferet, ſpeciatim diſpicere ac diſquirere emolumenta potius; non

detri-

Incredibilia emolumen. & exacta Christiani Officii Ratio, seduloque perniciosorum errorum extirpatio in ECCLESIA Nitriensi.

detrimenta, *quae Res Ecclesiastica* (non ex *inscientia*, sed ex peritia *Litterarum*) in DIOECESI NITRIENSI hactenus acceperit: quæve illic non *enormes Christiani officii perversiones*, *neque multi*, *& perniciosi in Evangelicam Doctrinam errores irrepserint*; sed vero, praeclara *Christiani Officii* exempla sint exhibita, opera peracta, *Instituta* introducta. Quantum praeterea integerrima *Catholicae Doctrinae* Veritas ultro citroque disseminata, quaquaversum promota, promulgata ubique. Quomodo, & quibus in locis *jure postliminii* potita, aut plerumque restituta in integrum, convalidata, atque stabilita. Tum vero, istud quoque ad peaesens intentum haud parum juverit, & illud alterum praevalide fulserit ac muniverit, ut cum per Te, Joannes Ernestus HARRACHIUS nuper EPISCOPUS NITRIENSIS, *tanto diligentiae*, *consilii*, *omnisque Pontificiae Virtutis fructu Episcopatum absens administravit*, *quantum nemo unquam prasens attulerat*; Per me contra, jam indicatum sit haud obscure, nonnisi voluntarie, ac per summam adulationem id esse abs te datum auribus; contulerit inquam ac juverit bene multum, ad te in triumphum usq; deducendum, in medium afferre, quid potius DECESSORES JOANNIS ERNESTI, non votis neque desideriis duntaxat, sed re ipsa egerint, praestiterint, atque confecerint. Verum, quia non unius *Apologetici*, sed Volumi-

luminum negotium ſit, narrationem omnium per laudationis capita inſtituere, atque haec eadem plureis in partes diſtribuere; nec non ipſe ego in PRAEFATIONE SCRIPTIONIS noſtrae receperim, haud me velle cogere, vel accerſere praeterita, ad Cauſſam hodiernam ſuſtinendam; aut idcirco quaſi incidenter, atq; ſane petita venia, de quibuſdam propiorum temporum NITRIENSIBUS EPISCOPIS, ac prorſus generatim & universe, erit loquendum; aut (accommodatius) *Praeteritione* Oratoribus conceſſa utendum.

PRAETERITIO Rhetorica EPISCOPORUM NITRIENSIUM prioris retro temporis, qui praeclara quaeque pro Emolumento NITRIENSIS ECCLESIAE peregerunt.

Praetereo quapropter GUBASOCIUM, qui Palatium Epiſcopale, AEDEMque Cathedralem, immanitate TURCARUM collapſam ac profanatam, pro Viribus inſtauravit. SZELEPCINIUM; qui poſtea (ob ſapientiae, probitatis, maximaeque ad res gerendas prudentiae laudem) REGNI PIRMAS renunciatus fuit. Sed antequam Epiſcopatu Nitrienſi decederet, Parochias redintegravit; Beati *Franciſci* Filiis Sacrarium peramplum, Coenobiumque poſuit; Reditus Canonicorum cumulavit; Aram inſignem, Cancelloſve *Adytorum* comportatis de longinquo e marmoribus conſtruxit; Supellectile, Aulaeis, Reque omni veſtiaria quam pretioſiſſima, TEMPUM Summum conveſtivit. HASCONEM deinde praetereo; qui per vim impoſitam Dignitatem (& opulentam, & honorificam) Annum duntaxat ſuſtinuit: mox au-

tem ea sese abdicans, Parochiales Curas resumpsit, *Pauperibus evangelizavit*, FIDEM longe lateque per DIOECESIM protulit. Pietatis tandem, zelique fervore consumptus, immo delassatus laboribus, *in Domino obdormivit*. PALFFIUM postea praetereo, *Thomam* dictum; (si bene nemini) Qui Propugnacula Episcopalis Castri ad Formam justi *Munimenti* erexit; Fossam de Rupe altius cavatam circumduxit; Paratibus, Ornamentis, Vasis aureis, Tyaris, & Pastoralibus Pedis ECCLESIAM locupletavit. *Blasium* inde JAKLINUM praetereo; qui religiosissimum *Camaldulensium Monachorum* Ordinem ad Latus vicini Montis opimis cum possessionibus collocavit. LADISLAUM tandem MATTHIASOCIUM praetereo; qui quanta, quamque magnifica, ac sane incredibilia patrarit, jam ubertim (centesima sexagesima quarta pagina) complexus sum, ubi gloriosissimi istius NITRIENSIS ANTISTITIS GESTA vivis coloribus expingebam. Hi proinde continenti serie (superiore Seculo) sibi succedentes Praesules, in ipsa CIVITATE NITRIAE Totaque DIOECESI, id praeterea unum omnes spectabant intentissime, id assidue procurabant, quod ad VERAE RELIGIONIS propagationem, summaque ECCLESIAE *Commoda*, *Emolumentaque & opportuna subsidia* pertinebat, referebatur. Fuere quippe VIRI a PRINCIPE plane delecti: REGNI insuper CANCELLARII; penes quos maxima semper

pote-

poteſtas aderat, auctoritas, atque juriſdictio. Fuere ſimul PROVINCIAE NITRENSIS PRAESIDES *abſoluto jure*: fuere denique EPISCOPI, doctrina, religione, amore decori & honeſti, ac plerique omnes Natalium quoque ſplendore praeluſtres atque conſpicui. Inde profectum eſt, quod HAERESIM Contagionis more ſerpentem, jamque fibras, jamq; praecordia, jam & caput DIOECESEOS depaſcentem, eliminaverint, inque finitimos angulos repreſſerint. Quod adeo luculentum, eoq; perductum eſt, ut profecto non ſit fas hodie quemquam Haereticum CIVITATE NITRIENSI donari; neque ulli admiſſum moram illic nectere, niſi tantiſper, idque in tranſitu: aut gemina ſummum Hebdomade Opificum Collegis, dum interea de retinenda, vel mutanda ſententia deliberent.

Peculiaris memoratio Lad. Adami ERDöDII, quē proximū Deceſſorē habuit HARRACHIUS in Epiſcopatu NITRIENSI.

Verum, de Joannis Erneſti HARRACHII proximo DECESSORE, LADISLAO ADAMO, COMITE ERDÖDIO, pace tua ADVERSARIE pluſculum. Nihil autem dixerim de clariſſima GENTE illius; nihil de DOMO ſpectatiſſima, commodis, atque pompa, omnique apparatus ſplendore, ad voluptatem, & magnificentiam potiente; nihil de clariſſimis Amicitiis, & Conjunctionibus; nihil de Dotibus elegantiſſimis & peregrinis naturae gratiis; nihil de Dignitate REGNI CANCELLARII, de LEGATIONE ampliſſima ad POLONAM REMPUBLICAM: Quippe pro

 eo,

eo, quod nunc exequendum ſuſcipio, *omnis mihi Oratio eſt cum Virtutis, non cum Generis celebritate; cum praeclare geſtis, non cum voluptate; cum labore, ac ſtudio, non commoditate*; cum religionis fervore, non cum DIGNITATE: cum iis denique, *qui ſe Patriae, qui ſuis Civibus*, qui Dioeceſi illuſtrandae, qui laudi atque gloriae Numinis, qui proximorum ſaluti, *& natos eſſe arbitrabantur, & ſe totos dediderunt, ſacraverunt*. (a) Itaq; LADISLAUS ADAMUS ERDÖDIUS heic ROMAE impoſita Litterarum Studiis (quae in HUNGARIA coeperat) coronide, SENIS, in ETRURIA, Numini in perpetuum ſeſe devovit, Sacerdotio initiatus. In PATRIAM ſubinde redux, quum & claritate naſcendi excelleret, & praeſertim Doctrinae, modeſtiae, comitatis, probiſſimaeque indolis rara ſpecimina ederet, CANONICORUM JAVARINENSIUM COLLEGIO eſt accenſus. Praepoſitus poſtea *Eccleſiae Sanctiſſimi Salvatoris de Papocio* renunciatus.

(a) Cic. pro Sex. Roſc.

Aliquanto poſt, explendeſcentibus ingenii, voluntatiſque decoribus, acri contentione ad id, quod honeſtum eſt ac laudabile, connixis; quandoquidem per omnem vitam nihil aut faceret, aut diceret, aut ſentiret, niſi quod pium, quodve conſultum, illuſtre, ac decorum foret; ad EPISCOPATUM NITRIENSEM ſubvectus fuit. In quo ſolidos omnino triginta annos exigens, majora

geſsit

gessit hercule! quam ut ego pro dignitate commemorare valeam, isto praesertim (quod ab exordio facesso) rerum plurimarum compendio. Quae tum sane locupletius exequutus fueram, quum in Funere illius pro spectatissima dudum Concione dicebam. Atvero, cum & nostra intersit,tum coeptam quoq; ad rem,haud parum conferat; perstringam heic etiam quaepiam, aut multa immo leviter attingam. ECCLESIAM quocirca (Sponsam videlicet suam) substructionibus exquisitis, auro quaquaversum illito, picturisque decentissimis a summo ad imum perornavit: tessellatis de marmore pavimentis constravit: ARAS, DIVORUMque Simulacra, & ipsos certe parietes rarissimo artis plasticae artificio perpolivit. Adeo (denique) splendide illam quantacumque est convestivit, ut ipsa profecto videatur, de qua dictum sit: *Astitit a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*. Ad cujus deinde latus (veteri submoto) Palatium magnificum, ac regale propemodum extulit: Coenaculis, Conclavibus, Tricliniis (& numerosis, & capacibus, urbanoque paratu illustribus) instruxit, decoravit.Turrim editam ac spatiosam,Statuis, pergulis, cancellisq; insignem reddidit: in eaque Bibliothecam lectissimis Codicibus divitem apparauit,confersit. Quid postea? annuos Episcopales Reditus, tercentum (& quod excurrit) nummum au-

reum perpetuo proventu uberiores, induſtria ſua reddidit: Poſſeſſiones Epiſcopales permultas, amplis commoditatibus uſui SUCCESSORUM honeſtavit: Templa ſimul (eis in locis) non exiguae Molis aut a fundamentis excitavit pleraque, aut magna inſtauratione innovavit. Quid praeterea? Nihil non egit, ut in Clerum ſuae DIOECESEOS, adlegeret Juvenes, ingenio in primis, inculpatiſque moribus praecipuos: quos antequam hujuſmodi in ſortem adſumeret, Peritorum acri experientiae ſubjiciebat. Tum vero, guſtum facturus, atque ſtimulos additurus, quo alii ROMAM commode proficiſcerentur ad Litterarum Studia perhonorifice conſummanda, commeatum large ſuppeditabat: Quo item alii in Sapientum conſeſſu ſolemniter decertarent, ac ſolita Doctrinarum jnſignia conſequerentur, & crebro, & copioſe liberalitatem ſuam teſtatus fuit. Praecavit autem quam diligentiſſime, nequi Parochiis, Animarumque Divino pretio aſſertarum Procurationi praeficerentur, qui vitae integritate, qui ſufficienti eruditione, qui praeſenti ad res adminiſtrandas conſilio haud pollerent. Non idcirco ad id muneris quemquam deſtinari ſinebat, antequam de his omnibus periculum feciſſent Viri deputati, atque ſtudioſam experientiam inſtituiſſent. Inde CANONICORUM in COLLEGIUM haud unquam aliquem, aut rariſſime adſci-

ſcivit, niſi multo antea in *Vinea Domini* ſudore irroratum, calloſoq; labore perfunctum: Necnon conſilii, dexteritatis, communiſque exiſtimationis, ac venerationis laude praeſtantem. Ecquid inſuper? illud ad extremum, vigilantia & contentiſſima ſolicitudine, nec non ſua partim ac ſuorum auctoritate zeloque; partim adjumentis, & ſuppetiis aliunde accerſitis, illud ſane confecit quamdiu EPISCOPATUM geſſit, quod (Urbe nobili) TERENTIO, ZOLNA item (opulenta Civitate) Pravorum Dogmatum Miniſtri ejecti, eliminati; praeciſa omni etiam ſpe remigrandi. Quod firmum adeo ratumque eſt, ut ſi alicunde irrepere praeſumant hodie, ſaxis impetantur, verberibus, praeſtationibus, atq; carceribus etiam, continuo multentur. Illud amplius: quod PUCHOVIUM (frequentiſſimum oppidum) atque errore uſquequaque ſcatens, prorſus repurgatum ſit, ne homine quidem illius Faecis reliquo. Illud maximae tandem atque incredibilis induſtriae, & perennis omnino FAMAE, ac ſempiternae GLORIAE; quod videlicet, per id tempus, quo ipſe *vigilabat* PASTOR *multum inſomnis ſuper Grege ſuo*, QUINQUAGINTA (pluraq;) MILLIA OVIUM PERDITARUM, & Haereticae pravitatis ſcabie, ac impetigine infectarum, reducta, legitimoq; CHRISTI Gregi appoſita, ac perſanata fuerint. Quod equidem, tum inuſitato ECCLESIAE incremento confectum OPUS, tum

auro,

auro (ſane) cedroque dignum, (Deum immortalem appello, univerſorum, quae uſquam geruntur conſcium) haudquaquam ego commentitie ad hunc locum attuli; verum in PUBLICAS DIOECESEOS LITTERAS relatum, ac per ſeriem repoſitum, paucis ab hinc annis ex ore VICARII id temporis GENERALIS accepi. Viri profecto, quemadmodum ſempiterna digni memoria; ita permagno ſui deſiderio (etſi capulari in ſenecta) vita ſimul, & officio defuncti. Utpote, qui in PARTEM parandi maximi iſtius (cujus modo meminimus) emolumenti, diuturnus operarius acceſſerat; atque unicus ipſe, facile quaterna animarum millia ab errore, ac defectione revocarat.

Confer jam ADVERSARIE luculentiſsimos hoſce FRUCTUS NITRIENSIUM antea EPISCOPORUM, cum illis JOANNIS ERNESTI HARRACHII nuper denati (qui nulli propemodum reipſa, quamlibet magnis in votis fuerint) confer inquam; atque tum, (niſi oculos non recludas) neceſſe eſt, ut videas, jam nihil ſupereſſe amplius, quod arripueris, quo vel tãtillum adhuc inficiari queas, multum admodum, & inique ſane palpatum te fuiſſe, cum diceres: *Epiſcopatum tanto diligentiae, conſilii, omniſque Pontificiae Virtutis fructu, abſens adminiſtravit, quantum nemo unquam praeſens attulerat.*

Inde autem, en tandem ſupremum ac poſtremo,

mo, en cumulatim confertimq; ante oculos tuos posita *incredibilia illa detrimenta, quae ex Litterarum inscitia Res Ecclesiastica capiat in Dioecesi, Civitateque NITRIENSI!* Ecce *enormes Christiani Officii perversiones!* Ecce *multos & perniciosos errores, qui* ea de caussa *Evangelicam in Doctrinam irrepant!* Quandoquidem autem his infandis prorsus contraria in ECCLESIA NITRIENSI & fieri, & facta gestaque fuisse, nemo jam unus ambigere valeat ob luculentam adeo, uberemq; demonstrationem; abolenda & expungenda procul dubio, atque commaculanda erunt verba tua, quibus initio funesti PANEGYRICI spondebas, *nihil te, nisi ad veritatem dicturum*. Enimvero, meridiano Sole clarius, ac lippis quoque evidentissimum est, te perplura dixisse, ac profudisse, nedum fide sublesta atque ancipiti, & vacillante; sed falso etiam, sed comminscendo, & affingendo. Idque haud equidem sine palmari injuria, haud sine contumelia praegrandi, haud sine direptione, ac latrocinio quodam Honoris & Existimationis tum inclytae totius REGIONIS HUNGARIAE, cum etiam celebratae CIVITATIS NITRIENSIS; ac denique istius nominis florentissimae DIOECESIS, atq; PROVINCIAE.

PERORATIO, sive Epilogus OPERIS, atque Constrictio supre ma AD-VERSARII.

Quare, quum ad exitum nostra tum demum pertigerit VINDICATIO, si te reponendi boni nominis, si farciendae alienae FAMAE (quemadmodum pium quemque debet) tangit religio; palinodiam

canas

canas oportet. Revoca proinde,& retracta. At retracta (intereſt) peridonea hacce, aut aſſimili FORMULA: *Quidquam ego (viri Nobiles, & Eruditi!) quidquam ego humani, idque non mediocre paſſus ſum; ſermonemque Vulgi, & opinionem imperitorum ſequutus, longius a vero deflexi. Quam ob rem id fecerim, fere non invenio. Verum, jam & ſentio, & confiteor, atque etiam palam facio, primum quidem, laudabiles omnino in Eccleſia Nitrienſi, Civitateque ipſa, Scholas vigere: tum vero, illic ſane illic, totiſque praeterea celebratae* HUNGARIAE REGIONIBUS, *nedum non eſſe nullas Litteras, at frequentiores etiam: atque probam, utilem, egregiamque illarum tradendarum colendarumque teneri rationem. Ex quo Litterarum Cultu, mirum eſt, quantum emolumenti augmentique Res Eccleſiaſtica capiat, quam inſigniter ac praeclare Chriſtiani Officii munia plerumque impleantur: quam frequens, quam ſalutaris, quam nervoſa, Evangelicae Doctrinae paſſim inſtitutio fiat. Haec ego hunc ipſum ad modum ſe profecto habere,* URBI, & ORBI *declaro, notum facio, atque quibus valeo manifeſtioribus ſignificationibus evulgo.*

Qod ſi quocirca reſipiſcenti hac ratione poenitere ſubeat, ſi taliter laeſis cum HUNGARIS, ac mecum quoque in gratiam redis, ego te viciſſim amplector, atque ſuavior. Sin conſilia mea protervior aſpernaris, age (per me licet) quod

quod lubet; obnitere porro, scripturi sodes, vim si qua tibi etiamdum superat, in nos instaura: Polliceor sane, teq; certum facio, sin minus me, HUNGAROS (GENTILES meos) comparatos dubio procul, atq; etiam expeditos, & omni tempore opperientes invenies, qui reprimant, qui retundant. Quippe quibus non minus ad calamum tractandum, quam ad stringendum gladii capulum, manus, animique idonei, atque alacres. Ego vero in asserenda, vindicandaque PATRIA, quantum per remissiorem industriae contentionem, (qualem feriatis Ruri diebus pro more adhiberi convenit) quantum etiam pro mea mediocritate poteram, satis praestitisse videor

CONCLUSIO particularis ipsius Authoris circa suã Personam.

Pro PATRIA *dixisse iuvat, quod dicere possis;*
Quidquid id est, dicet PATRIA *cara, sat est.*

Quamobrem, nibil dico de meo ingenio, neque est quod possim dicere: neque, si esset, dicerem. Aut enim id mibi satis est, quod est de me opinionis, quidquid est. Aut si istud parum est, ego majus id commemorando facere non possum (a) Quid multis? isto saltem nobis EPIPHONEMATE jure (putem) acclamemus:

(a) Cic. in Qu. Cæc. p. 36.

Ex Autore licet, nostro tenuique paratu,
Vix aliquid possit laudis babere LABOR;
Attamen eximium pretium feret, attamen amplum
Asserto ex PATRIAE *(sumet)* HONORE DECUS.

Quamquam si nihilominus novis deinceps

Conatibus pro hac ipſa cariſſima PATRIA vires contendi oportuerit, ingratiſſimus omnium Mortalium fuerim, ſi metu retrocedam, ſi in amore intepeſcam, ſi me ſubtraham; & non (contra) totum id quantum eſt, quo nunc valeo, atque interea comparavero, contentiſſime impendam. Tantopere namq; illam a me diligi ſentio (quomodo ſane a quovis ingenuo diligi eam oportet; quippe quae vitae uſuram, & omne quod ſumus, contulit) Tantopere inquam a me illam diligi ſentio, *quod, ſi etiam mihi nullum aliud eſſet officium in omni vita reliquum, niſi ut adverſus eam ſatis gratus judicarer; tamen exiguum reliquae vitae tempus non modo ad referendam, verum etiam ad commemorandam gratiam mihi relictum putarem*. (a)

(a) Cic. poſt Red. in Sen. p. 150.

EXPLICIT. RURI
PER. AUTUMNI. OTIUM. IN. HERNICIS
HAUD. LONGE. A. CUNABULIS
M. TUL. CIC. C. MAR. PLIN. PLAUTIQUE;
SEXT. DEC. CAL. NOV. XLII. SUPRA CIƆIƆCC.
SEDENTE. BENEDICTO. XIV
OMNIS. PATRIAE. ET. OMNIUM. PATRE
OPT. MAX. LITTERATISSIMO



Pag.	Verſ.	*MENDA*	*EMENDA.*
13	9	LITETRARUM	LITTERARUM
31	14	pluri	piurimum
40	9	tibi	ibi
48	25	igtur	igitur
—	28	JOANNAS	JOANNES
58	9	caepiſti	coepiſti
62	2	petigiſſe	pertigiſſe
—	24	propietates	proprietates
63	16	Iſtihic	Iſthic
70	1	Super is	Superis
81	4	Diſcepl.	Diſcipl.
—	10	fuit?	fuit.
—	25	pute	puta
94	24	quorum	quorſum
96	6	ſugillare	ſuggillare
103	24	Tranſubſtantationis	Tranſubſtantiationis
108	28	conferamos	conferamus
115	13	inſctia	inſcitia
118	7	PHILOSOPHIA	PHILOSOPHIAE
125	3	plaeraſque	pleraſque
136	8	ambitioſus	ambitioſius
138	7	aleri	alteri
139	18	FDE	FIDE
153	12	deſinita	definita
155	11	umbilium	umbilicum
169	9	SEPTEMURIIS	SEPTEMVIRIS
177	2	ADVERSARIAE	ADVERSARIE
178	15	pravo	parvo
189	8	regere	regerere
190	3	qua ve	quaeve
199	6	quae	qui
—	18	comminſcendo	comminiſcendo



